

2. Biblioteca  
ASTRA, Sibiu

•32 P.C.N.

05

SIV 2090



11  
mag 1626

Datus Lytifi

2525

**ACTUS HUMANUS**

INDIFFERENS.

Ad Mentem Doctoris Subtilis

**JOANNIS  
DUNS SCOTI**

*Examinatus, ac publicæ Disputationi  
expositus*

SUB COMITIIS PROVIN-  
CIALIBUS CELEBRATIS

In Conventu Monacensi

F.F. Min. S.P. FRANCISCI

Reformatorum.

P R A E S I D E

P.F. STANISLAO KARG,  
Præfati Ordinis & Conventū in  
Studio Generali SS. Theologiæ

Lectore Ordinario.

D E F E N D E N T E

F. EPIMACHO NIDERMAYR,

Ejusdem Ordinis & Studij Candidato.

Die 119 Mensis Augusti, Anno M. D. CC. XI.

Cum Facultate Superiorum.

MONACHII, Typis Joannis Lucæ Straubij.

861 3317



*Admodum Reverendo in Christo  
Religiosissimo ac Clarissimo Patri*

# **FRANCISCO CACCIA**

**Ordinis Min. S. P. FRAN-  
CISCI Reform. Lectori , Con-  
cionatori Emerito , Almæ Provin-  
ciæ Austriæ Ex-Provinciali ,  
TOTIUS ORDINIS  
PATRI ,**

**Iteratò Generali Diffini-  
tori Actuali , per totum S. R. I.  
Commissario Generali Terræ  
sanctæ ,  
Theologo & Concionatori Cæ-  
sareo, Guardiano Lanzendorffensi ,**

*AC*  
**Provinciæ S. ANTONII Paduani Ba-  
varicæ Commissario Visitatori Generali ,  
Patri ac Superiori suo Observandissimo  
Colendissimo.**

ADMODUM REVERENDE,  
IN CHRISTO RELIGIOSISSIME,  
AC CLARISSIME  
**P A T E R.**

**D**Um indefessæ Cereris falces  
fœcundos undique agros fla-  
vescentibûs spoliaverant Ari-  
stis; sacra quoque Diana pulchrâ qua-  
si inardescit invidiâ, ac mediante Ad-  
modùm Reverenda, ac Clarissima Pa-  
ternitate Tua de Venatoria præda  
gloriari videtur. Sacra Diana, in-  
quam, non illa, quæ mutabilis Lu-  
næ cornua phaleratæ intexuit tiaræ,  
sed quæ ab æterno *cuncta in numero,*  
*pondere, & mensura fortiter, suavitèr-*  
*que ordinavit, Divina nempe Provi-*  
*dentia. Verum est: Conveniunt rebus*  
*nomina sèpè suis: siquidem per Tuum*  
*Gentilitium Nomen CACCIA *Ven-**  
*natio, & per CACCIA TOR *Ven-**  
*nator italico-latinè nobis exhibetur.*  
*Venatio profectò fortunatissima, imò*

*Venator* incomparabilis optimo ju-  
re dici mereris Adm. Reverende ac  
Clarissime Pater, utpote qui & ipsas  
Augustissimas Aquilas LEOPOL-  
DUM & JOSEPHUM I, pijssimæ  
memoriæ Romanos Imperatores ra-  
rissimô humilitatis & gravitatis at-  
temperamentô, amœnissimâque mo-  
rum humanitate in fortia gratiosissi-  
mi favoris retia ita rapueras, ut Te in  
Sacrae Cæsareæ Majestatis Theologum  
ac Concionatorem Aulicum solo exi-  
miæ Virtutis & doctrinæ intuitu ex-  
tulerint. FRANCISCUS CACCIA  
*Venatio* fortunatissima, & *Venator* in-  
comparabilis, qui non tantum Alau-  
das Austriacas in magneticas summæ  
venerationis casses suavissimo egisti  
alleatu; verùm etiam fortissimos Leo-  
nes plūs quàm Herculea virtute devin-  
cere haud ignoras. FRANCISCUS  
CACCIA *Venatio* fortunatissima, &  
*Venator* incomparabilis ex illis nimi-  
rum, de quibus jam olim sanctissi-  
mus Propheta Jeremias prædixerat:  
*Mittam eis Venatores, qui venabuntur eos.*

de

de omni monte , & de omni colle : Ex illis ,  
qui non sibi soli vivere , sed & alijs pro-  
ficer volunt , Dei Zelō ducti . Quis in-  
hiantes alienæ substantiæ Tigrides ?  
**Q**uis celeri cursu ad interitum prope-  
rantes Pantheras ? Quis proximi for-  
tunæ invidiosas Lynces ? Quis alia  
innumera vitiorum Monstra addu-  
cet , quæ per 12. annos ut Zelosissi-  
mus , celeberrimusque Ecclesiastes ac  
indefessus Animarum *Venator* Verbô  
**DEI** veluti fulgurante bombardæ  
tonitru debellaveras , superaveras ,  
prostraveras , nolens mortem peccatoris ,  
sed ut magis convertatur , & vivat , toto  
anhelans pectore ? Quænam Arith-  
meticæ scientia tot numeros dabit ,  
quibus illa copiosa calculetur fera-  
rum , seu potius Filiorum ac subdi-  
torum soboles , quam ad virtutes ,  
ad Seraphicæ Regulæ Observantiam ;  
ad Religiosam perfectionem excitan-  
dô animâsti , & animandô excitâsti ?  
**M**emorant Fasti , Alphonsum Legio-  
nis Regem Pellicanum proprio san-  
guine pullos lactantem eruditô ad-

umbrari jussisse penicillō , cui hanc  
sociavit epigraphen : *Pro lege & gre-  
ge.* Voluit nempe Rex sapientissimus  
orbi palam facere suam promptitudi-  
nem pro Religione , & subditorum in-  
columitate vitam cum sanguine po-  
nendi. At verò Tibi Adm. Rev. ac Cla-  
rissime Pater pulcherrimum hoc lem-  
ma *Pro lege , & grege*, jure meliori con-  
venit : siquidem pro Religione , & Se-  
raphico nostro Ordine , pro omnimo-  
da tibi concreditorum salute verus Pa-  
ter Patriæ Te totum consecras , atque  
impendis. Testatur hoc Amantissima  
Tua Mater , Alma & Inclyta Bernardi-  
no-Austriaca Provincia, quam non so-  
lū ut Superior vigilantissimus pasto-  
rali sollicitudine , summā prudentiā ,  
discretō zelō , incredibili dexteritate  
ac felicitate regebas, propugnabas, ex-  
altabas ; sed etiamnum omni modō  
augere & dilatare non cessas , dum  
tuæ potissimum curæ Conventus  
Lanzendorffensis originem adscribit ,  
atque perfectionem , quod defactō sit  
gratiosum Magnæ cæli, terræque Im-  
pera-

peratricis MARIÆ habitaculum , &  
jam saepius Cæsareæ Majestatis hospi-  
tium. Testatur hoc sub intolerabili  
Ottomanicæ immanitatis jugo ge-  
mens Palestina , in qua domos & Con-  
ventus, in Conventibus Fratres Mino-  
res , in Fratribus , frementibūs etiam  
Inferis , memoriam , honorem , ac ve-  
nerationem illorum locorum conser-  
vas , in quibus æterna humani gene-  
ris salus oriebatur ; siquidem per to-  
tum S. R. I. Commissarius Generalis  
Terre sanctæ invictâ omnino industriâ  
necessaria congregas subsidia. Testatur  
hoc Croatia, Hungaria, Bohemia, Ba-  
varia atque Tyrolis , in quibus novies  
(quod inauditum quid esse videtur) ut  
Commissarius Visitator Generalis ,  
quod infirmum erat , consolidasti , quod ægro-  
tum , sanasti , quod confractum , alligasti , &  
quod abjectum , reduxisti , omnibus omnia  
factus. CACCIA Venatio fortunatissi-  
ma , & Venator incomparabilis , qui to-  
ties venaticum illud excellentis do-  
ctrinæ & scientiæ cornu contra lupi-  
nas vitiorum , hæresumque intonasti

catervas, quoties in præstantibus tuis  
libris pro magno Reipublicæ Christia-  
næ emolumento editis Te immorta-  
lem effeceras, ut Tibi illud Poëtæ me-  
ritò occini poslit :

*Qui scribenda facit, scribitve legenda,  
beatus*

*Ille; beatior es Tu, quod utrumque fa-  
cis:*

*Digna legi scribis, facis & dignissima  
scribi;*

*Scripta probant doctum, Te tua facta  
probum.*

Et certè, quamquam pluribūs anno-  
rum periodis Mavors insatiabilis im-  
portunissimo armorum stridore stu-  
dijs obstrepere conetur ; Tu tamen  
constantī planè animō litteras foves,  
litteratis faves, ac inter litteras glorio-  
sissimè consenescis : & dum publica,  
arduāque frequenter urgebant nego-  
tia, primaria tamen cura semper Supe-  
rūm, ac Sacerdotum, secunda littera-  
rum fuit. Quid ergo mirum, si Te Se-  
raphicus Ordo bina jam vice super  
Diffinitoriatūs Generalis candela-  
brum

brum posuit? Quid mirum, si Te om-  
nes amando timent, & timendo amant,  
ac venerantur? quid mirum, si Divi-  
nus Isaac de fortunatissima spirituali  
*Veneratione* Tua summopere delegetetur,  
te illis verbis Genesis 29. alloquens:  
*Sume armata tua, pharetram, & arcum; cum-  
que venatu aliquid apprehenderis, affer, ut  
comedam, & benedicat tibi anima mea?*  
quid mirum, si Antonianam nostram  
Provinciam, si omnes nos obsequen-  
tissimos Filios Paternâ Tuâ benevo-  
lentiâ, sincero amore, atque innata  
humanitate ita devincias, ut suavem  
ac perpetuam tibi fateamur captivita-  
tem? Ideoque, Adm. Rev. & Clarissime  
Pater, post exantlatos tot ac tantos la-  
bores, post fortunatissimam peractam  
*Venerationem*, post insignes; divitesque  
meritorum prædas, tota nostra Anto-  
niano-Bavarica Provincia Tibi *Venatori*  
incomparabili submisissimâ gratula-  
tur reverentiâ, currum triumphalem  
duobûs filialis amoris ac debitæ grati-  
tudinis cervis tractum & instructum  
offerendo: Filialis amor Tibi debetur

ut

ut Patri, qui plūs quām paterno affectu eandem amplecti non desinis: debita gratitudo verò ut Superiori, qui nō *in virga ferrea*, sed *in spiritu lenitatis* con- creditos, quocunque demum volebas, multò suaviùs inclinâsti. Gratulatur Tibi & Studium nostrum Generale Theologicum, atque fiduciâ filialî in adamantina Tua retia pavidum agit *Hinnulum Cervorum*, scilicet ACTUM HUMANUM INDIFFERENTEM; pa- vidum, inquam, quem copiosissimi Adversarij canum venaticorum adin- star modò in bonā, modò malam insi- stunt compellere partem. Attamen spontè suâ ad Te confugiens, ac in Tuo Paternæ benevolentiæ sinu sese ab- scondens securè quiescit. Coñemorat Quagninus, quod Carolus VI. Galliæ Rex inaugurationis tempore non exi- guæ magnitudinis offenderit cervum, cuius monili insulptum fuerat: *Hoc me Cæsar donavit.* Pariformiter gloriabitur *Hinnulus noster*, Actus Humanus Indif- ferens, si pretiosô Paterni Tui affectûs ac innatæ benevolentiæ monili illum

con-

condecoraveris, stylō ferreō gratiōsē  
inscribendo: *Hoc me FRANCISCUS*  
**CACCIA** donavit. Exorabimus affiduis  
nostris precibūs piissimum Numen, ut  
Te cœlesti illa benedictione largissimè  
prosequatur, qua Gen. 27. Patriarcha  
Isaac dilectum suum *Venatorem*, & Fi-  
lium repleverat, dicens: Ecce odor Filiij  
mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Do-  
minus. Det tibi Deus de rore cœli, & de pin-  
quedine terræ, abundantiam frumenti & vi-  
ni. Serviant tibi populi, & adorent te tribus.  
Esto Dominus Fratrum tuorum & incurven-  
tur ante te filij Matris tuæ. Qui maledixe-  
rit tibi, sit ille maledictus; & qui benedixe-  
rit tibi, benedictionibus repleatur. Donec  
Tibi diebus & meritis pleno gloria cœ-  
lestis in prædam cedat æternam. Ita  
votis omnibus exoptant

*Adm. Reverendæ ac Clarissimæ*  
*Paternitatis Tue*

*Obsequentiissimi ac devo-*  
*tissimi Filij*

*Præses & Defendens*

## PROLOQUIUM.

**N**unquam seminaret agricola, si observaret ventum, nec meteret fructus, si nubes pertimesceret. Sic quoque calamus Typo nihil committeret, si indiscretas Zoili cavillationes atque censuras curaret. Materia Actus humani indifferentis minima quidem, & exiguae considerationis esse videtur: sed illam æqua inpassionatae rationis lance ponderanti non adeò vilipendendum patebit, quod & ipsam Conscientiam, & æternam concernit salutem. Numerant nostra Tempora non paucos, qui prurientis ingenij conatu laxiores, & minimam quamlibet virtutis speciem præferentes sententias circa actiones humanas Orbi Christiano proponere non erubuerunt. Ex quo factum est, ut Religionis & disciplinæ Christianæ aurum fuerit obscuratum, atque mutatus color optimus: In quæ tamen nociva opinionum monstra Summi Pontifices justissimum damnationis fulmen vibrare non dubitaverunt. Econtra plurimi Rigoristæ tam gravia obligationis onera quoad actiones ad ultimum finem ordinandas Homini viatori imponunt, atque arcum conscientiae ita intendunt, ut præsertim in illis, qui culpam timent, ubi culpa non est, disrumpi aliquoties vix non periclitetur. Imò successu temporis ob magnam hujus obligationis adimplendæ difficultatem contrarie laxitati aditus ac fræna omnia laxarentur. Quapropter medium tenens viam ad innumerabiles scrupulos in conscientijs plurimis sæpè perturbationibus obnubilatis evitandos, & ne ob legum, præceptorum ac obligationum multiplicationem sine necessitate multiplicentur quoque transgressiones illarum, volui istam potius materiam feligere. Interim tamen omnino optimum, ac valde laudabile remanet, ut quilibet, maximè vero, qui ad perfectionem tendit, cunctas suas actiones in ultimum finem juxta consilium Apostoli dirigat. Vale, & fave.



## QVÆSTIO I.

*An detur actus humanus secundum  
speciem indifferens?*

### §. I.

*Præmittuntur quædam ad plenam  
præsentis materiae notitiam necessaria.*

**O**bservandum 1. quod Actus humanus propriè dictus juxta nostrum P. Anacletum Reiffenstuel in sua Theologia Morali Tract. 1. Dist. 2. q. 1. Conclus. 1. Sit actus voluntatis liber cum advertentia rationis ad aliquam regulam in ordine ad ultimum finem nostrum elicitus. Licet hæc definitio uni aut alteri Scotistæ Juniori insufficiens videatur, ut possit convenire omni actui humano ac morali tam bono & malo, quam indifferenti: Nihilominus tamen ejus bonitas post exactam emnium particularum discussionem forsitan magis arridebit. Dicitur, *actus voluntatis*; sive immediatè procedat à potentia volitiva, quemadmodum actus eliciti, ut volitio & nolitio; sive mediatè tantum ex imperio voluntatis ab alijs potentijs suo dominio subiectis, quales sunt omnes actus im-

*Quæstio I. An detur actus*

perati v. g. intellectio, visio, auditio, &c. ex imperio voluntatis tanquam harum potentiarum Dominæ facti. Dicitur, *liber*; siquidem actus humanus non tantum debet esse liber libertate à coactione & necessitate, uti est de fide, & Innocentius X. in Bulla, quæ incipit, *cum occasione* declaravit, damnans sequentem propositionem Jansenij Irenensis Episcopi tanquam à fide & bonis moribus alienam: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate; sed sufficit libertas à coactione:* sed insuper requirit perfectam libertatem exercitij, quatenus talis actus positis omnibus ad agendum requisitis possit ponni, vel non ponni: unde rationem veri actus humani neutiquam sibi adscribit amor ille, quo Beati feruntur in Deum, cùm nequeant non amare illum. Dicitur, *cum advertentia rationis;* nam ad exercitium actus humani necessariò etiam requiritur actus & judicium intellectus representantis voluntati objectum; circa quod versatur actus humanus; cùm nihil volitum, nisi præcognitum: propter hoc veri actus humani non sunt, qui etsi liberè fiant, non tamen cum deliberativa advertentia intellectus; ut motus primò primi, vel ex sola aliqua imaginacione provenientes, qui potius actus hominis, quam humani vocari merentur. Dicitur, *ad aliquam regulam:* per quam regulabilitatem essentialiter constituitur actus humanus, atque transfertur de

de esse merè physico ad esse morale. Intelligitur autem per talem regulam non tantum præcipiens, prohibens & consulens, sed etiam permittens. Dicitur tandem, *in ordine adultimum finem nostrum*; qui est ipse Deus, summum bonum, ad quem homo viator modò accedit vel positivè per operationes moraliter bonas, vel negativè per actus moraliter indifferentes, ut infrà videbimus; modò recedit per operationes moraliter malas.

2. Observandum 2. Moralitatem actus humani formaliter ac in recto consistere in regulabilitate passiva per rectam rationem regulantem, quatenus tamen fundamentaliter & in obliquo importat rationem libertatis. Quapropter in actu humano triplex considerari potest regulabilitas. Prima dicitur regulabilitas fundamentalis remota; & est ipsa entitas physica actus, in quantum saltem remotè est capax, ut reguletur per rectam rationem. Secunda dicitur regulabilitas fundamentalis proxima, sub qua intelligitur ratio libertatis tanquam suudamentum proximum moralitatis & regulabilitatis formalis; cùm reddat actum proximè capacem, ut reguletur: nisi enim actus esset liber, ac in potestate hominis producentis illum, nequaquam esset imputabilis. Tertia dicitur regulabilitas formalis, quæ sola actum humanum in genere moris formaliter constituit: siquidem, etiamsi omnia alia adsint, ita ut eliciatur cum perfecta libertate ac cogni-

*Quæstio 1. An detur actus*  
tione finis atque objecti, nondum tamen erit  
actus verè humanus ac moralis, si unica regulabili-  
tas per rectam rationem deſit.

3. Observandum 3. quod ista ultima regula-  
bilitas, in qua formaliter consistit moralitas actus  
humani, sit mera aliqua denominatio extrinſe-  
ca, entitati physicæ superaddita, derivata ac  
derelicta ex terminatione rectæ rationis regu-  
lantis in actu ab homine viatore liberè produ-  
cto: sicut enim, quando cognosco, aut video  
v.g. parietem, derivatur à mea potentia co-  
gnoscitiva vel visiva terminante, atque relin-  
quitur in illo denominatio quædam extrinſeca  
cogniti aut visi: sic etiam à recta ratione termi-  
nante ac regulante derivatur, & relinquitur in  
actu, qui dicitur humanus, denominatio ista  
extrinſeca regulati; quæ non importat ens ratio-  
nis respectivum fundamentaliter (ut cum pluri-  
bus Scotistis tenet P. Maſtrius Disp. V. de acti-  
bus humanis q. 1. art. 3.) quamvis libenter  
concedamus, quod positâ regulabilitate illâ pas-  
ſivâ resultet aliqua relatio conformitatis vel dif-  
formitatis ad ratiosiem regulantem in actu re-  
gulato; quæ tamen relatio non est ratio forma-  
lis constitutiva actus humani.

4. Observandum 4. Prædictam regulabilita-  
tem seu moralitatem ut sic actus humani univocè  
dividi in bonitatem & indifferentiam tanquam  
duas rationes specificas actum humanum bonum  
ac indifferentem essentialiter constituentes: sicut  
enim

enim bonitas moralis est regulabilitas passiva per rectam rationem præcipientem vel consulentem; ita indifferentia moralis est regulabilitas passiva per rectam rationem permittentem. Malitia verò moralis nequit dici vera species univoca moralitatis ut sic, univocè sub isto genere conveniens cum bonitate & indifferentia; cùm consistat in mera privatione debitæ rectitudinis, seu bonitatis tam strictè quam largè sumptæ: privativo autem & positivo non est aliquid commune univocum.

§. Observandum §. Duplicem dari indifferentiam in actu, qui dicitur *indifferens*, scilicet *essentialē* & *accidentale*. *Indifferentia essentialis*, seu actui in primo modo dicendi per se conveniens, est illa regulabilitas passiva per rectam rationem permittentem, de qua primū dictum fuit, quod sit ratio formalis constitutiva actus humani indifferentis: hinc actus *indifferens* *essentialiter* est ille, qui de se nec bonus est, nec malus, sed quasi neuter; eo ipso enim, quod recta ratio regulans talē actum maneat *indifferens* nec præcipiendo, nec prohibendo illum, sed solummodo permittendo, derivat in eundem istam denominationem extrinsecam, per quam actus in suo esse morali *indifferentē* formaliter constituitur, ac denominatur *indifferens*. *Indifferentia accidentalis*, vel saltem *essentialis* in secundo modo dicendi per se est *capacitas illa*, quam actus *indifferens* dicit ad recipiendam bo-

nitatem vel malitiam ex fine & alijs circumstantijs, connotando utriusque negationem : ideoque est passio actum indifferentem essentialiter jam constitutum consequens. Quando autem adveniente bonitate vel malitiâ ex fine & alijs circumstantijs tollitur in actu ista passio seu capacitas & indifferentia accidentalis unacum connotatione duplicitis illius negationis, destruitur quoque in illo indifferentia essentialis , quam desumebat ex objecto, consequenter non remanet amplius prior moralitas, sed illâ sublatâ succedit alia nova , nempe vel bonitas vel malitia ex fine & circumstantijs acquisita. Nec audiendi sunt Arriaga Disp. 17. Sect. 3. Cajeranus q. 18. art. 9. Serra art. 6. & alij Thomistæ dicentes, adveniente bonitate aut malitiâ ex fine remanere adhuc in actu indifferentiam essentialiem ac specificam ex objecto desumptam. Non audiendi sunt ( inquam ) hi Authores , tum quia ille actus verè & propriè dicitur indifferentis in genere moris , qui nec bonus est , nec malus ex ullo capite in tali genere : si ergo jam semel actus ex circumstantia finis boni aut mali factus est bonus vel malus , nequit amplius remanere indifferentis in tali genere. Tum quia non minùs in suo genere indifferentia bonitatem & malitiam excludit , quam bonitas malitiam : sed bonitas ita malitiam excludit , ut , quamdiu actus est ex aliquo capite malus , absolutè nequeat esse bonus ; siquidem bonum ex integra causa : ergo simi-

similiter servata proportione idem dicendum erit de indifferentia, quod nempe tam bonitatem quam malitiam ita excludat, ut quamdiu actus est ex aliquo capite bonus vel malus, absolute nequeat esse indifferentis.

**6. Observandum 6.** Actum indifferentem proprietatem alium vocari indifferentem in genere moris secundum speciem, alium in individuo. Primus est, qui ex objecto seu fine intrinseco indifferentis, à quo suam specificationem principalem ac primariam desumit, nec bonus moraliter est, nec malus; tales actus sunt, ambulare, levare lapidem, &c. si considerantur præcisè in se abstrahendo à circumstantijs. Secundus est, qui hinc & nunc ab homine viatore liberè productus nec bonus moraliter est, nec malus, spectato etiam fine aliisque circumstantijs, quæ dicuntur accidentia actus humani, & à quibus saltem extrinsecè individuatur, quatenus à parte rei nullus datur actus humanus, nisi cum his vel illis circumstantijs productus; quales sunt hæc numero ambulatio ex fine indifferentiæ hodie facta, hæc numero elevatio lapidis Joannis tali loco ac tali tempore producta, &c. Cum autem actus humanus etiam indifferentis specificetur ab objecto (ut dictum est) hinc pro majori claritate sciendum, illud objectum non minari indifferentis, quod voluntati ab intellectu ita proponitur, ut in proponendo hoc neque præcipiat, neque prohibeat, neque consulat, sed

merè permittat, non quidem eā permissione, qua etiam illicitum permittitur, & quā Deus dicitur permittere peccata: hæc enim non est permissione propriè & rigorosè talis, de qua in praesenti agimus, cùm prohibitionem ejus, quod permittitur, supponat: sed intelligitur illa permissione, quā præcisè permittitur aliquid in tantum, in quantum illud stante eā licet fieri potest: quare actus, qui versatur circa tale objecum, & à quo specificatur, dicitur indifferens.

*Ex quo*

7. Observandum 7. Tanquam certum ac indubitatum seponi, quod non tantum philosophicè, verum etiam theologicè loquendo, ac in genere moris detur duplex specificatio actus, intrinseca, & extrinseca. Actus humanus in genere moris intrinsecè specificatur ab illo prædicato intrinseco, per quod in tali esse morali formaliter constituitur, essentialiterque distinguitur ab omni alio; sic actus humanus bonus intrinsecè specificatur à regulabilitate passiva per rectam rationem præcipientem vel consulentem. Actus humanus malus, seu peccaminosus desumit suam specificationem intrinsecam à carentia seu privatione talis regulabilitatis passivæ. Actus humanus indifferens intrinsecè specificatur à regulabilitate passiva per rectam rationem permittentem. Extrinsecè vero actus humanus specificatur in genere moris ab objecto non quidem ut præcisè in se considerato, sed quatenus à recta

recta ratione proposito: unde si actus humanus per modum prosecutionis tendit in objectum sub ratione boni ac honesti à recta ratione voluntati propositum, aut per modum fugæ in objectum sub ratione mali ac inhonesti demonstratum, dicitur actus bonus. Si tendit per modum prosecutionis in objectum sub ratione mali & in honesti propositum, aut per modum fugæ in objectum sub ratione boni ac honesti exhibitum, vocatur actus malus. Si denique tendit in objectum à recta ratione neque sub ratione boni, neque sub ratione mali propositum, consequenter nec ut præceptum, nec ut prohibitum, sed sub ratione indifferenti, & ut merè permisum, appellatur actus indifferens. Et licet illud prædicatum specificativum intrinsecum sit mera aliqua denominatio extrinseca, & sic aliquid extrinsecum actui quoad entitatem physicam & esse materiale considerato; est tamen prædicatum intrinsecum actui in esse morali spectato, cum formaliter eum constituat, ac ab omni alio essentia distinguat. Ex quo patet i. quod actus humanus pro aliquo priori, antequam specificetur ab objecto, habeat jam regulabilitatem illam passivam per rectam rationem: quamvis enim ad hoc, ut actus possit regulari, semper præsupponatur aliquod objectum, in quod tendat talis actus regulabilis; nihilominus tamen ista denominatio prius à recta ratione regulante derivatur in actu, antequam objectum illi tri-

buat suam specificationem. Patet 2. Licet actus etiam in genere moris dicant essentialiem ordinem ad objecta; hoc tamen non ita intelligendum est, quasi per talem ordinem intrinsecè specificentur, ac essentialiter includant in suo conceptu quidditativo: sed ideo, quia actus necessariò respiciunt objecta, in quantum ista sunt termini necessariæ dependentiæ, quam dicunt actus ad illa. Patet 3. quod specificatio extrinseca actus humani iterum sit duplex: una vocatur primaaria, quæ desumitur ab objecto, primariam, principalem ac suô modô essentialiem bonitatem, indifferentiam vel malitiam refundente in actum, ideoque illum primariò, principaliter ac essentialiter seu necessariò specificante. Altera vocatur secundaria, minus principalis & accidentalis, quæ actui humano advenit à fine extrinseco & alijs circumstantijs.

8. Observandum 8. Quod intellectus hominis viatoris ad esse materiale actus humani neutiquam effectivè concurrat, cum sit extra sphæram activitatis suæ; sed tantum voluntati objectum, circa quod vult actum producere, proponat. Ad esse autem formale actus humani tam intellectus, quam voluntas concurrit; intellectus quidem derivando in illum regulabilitatem; voluntas verò ordinando eundem & subiiciendo tali regulabilitati, si est actus bonus vel indifferens; si est actus malus, deordinando illum à recta ratione regulante. Quod Doctor

Sub-

Subtilis expressè habet in 4. Dist. 6. q. 5. §.  
Ad istam. ¶ Dico ergo; ubi sic ait: Propriè lo-  
quendo de actibus humanis, qui scilicet causantur  
per intellectum & voluntatem, &c. Ubi loquitur  
de esse formalí & non materiali actus humani,  
ut patet ex Ipsiis verbis primū adductis. Sic  
etiam dicit, quod tales actus humani causentur  
(intellige moraliter) non tantū à voluntate,  
sed etiam ab intellectu; non enim inquit, cau-  
santur à voluntate, intellectu solummodo re-  
præsentante objectum; sed, causantur per intelle-  
ctum & voluntatem.

9. Observandum q. Circa hanc satis celebrem  
controversiam tres dari sententias contrarias.  
Prima & communis in Schola Angelica cum suo,  
Doctore Part. 2. q. 18. art. 8. & 9. concedit  
quidem actus indifferentes secundum speciem,  
seu ex suo immediato objecto; negat tamen in  
individuo: quia juxta istam sententiam omnis  
actus, dum exercetur, saltem ex circumstan-  
tia finis vel redditur bonus vel malus: aut enim  
homo ordinat suum actum ad finem honestum?  
Et sic erit bonus: aut non ordinat? & sic eo ipso  
erit malus; quoniam tenetur homo per omnes  
suas operationes agere ob aliquem finem re-  
ctum. Ita tenent Cajetanus, Medina, Serra,  
Hacquetus, Lorca, Valentia, Sanchez, Suarez,  
Salmanticenses, Tannerus, Pallavicinus, Paulus  
Mezger, plurimique alij tam Thomistæ, quam  
Recentiores. Secunda sententia è diametro op-  
posita

posita admittit in genere moris actus in individuo nec bonos, nec malos, sed penitus indifferentes: negat interim, dari ullum actum humanum indifferentem ex objecto, seu secundum speciem. Hanc sententiam defendunt nonnulli Scotistæ præsertim P. Angelus Vulpes in Summa Theologiæ Sacrae Tom. 2. Part. 2. Disp. 69. art. 9. & 10. qui conantur & ipsum Doctorem nostrum Subtilem ad suas trahere partes, sed certè frustraneo conatu, ac neutiquam genuina ejusdem mentis explicazione, ut infrā magis patet. Tertia tandem ac communior in Schola Subtili sententia tenet, quod detur actus humanus tam secundum speciem, quam in individuo omnino indifferentis: cum qua ponitur.

## §. II.

### *Resolvitur Quæstio.*

10. **D**atur actus humanus indifferentis secundum speciem in genere moris. Ita post Doctorem Subtil. communiter Scotistæ Rubion, Bassol. Tataret. Lychetus, Herrere, Mastrius, Pontius, Faber, Herinx, & alij contra P. Angelum Vulpes, omnésque illos, qui secundam amplectuntur sententiam num. 9. positam. Probatur 1. Authoritate SS. PP. ex quibus Divus Hieronymus in Epist. ad August. sic scribit: *Bonum est continentia, malum luxuria, inter utrumque indifferentis, ambulare, manib[us] capitie*

capitis purgamenta proijcere: hoc nec bonum, nec malum est; S. Augustinus Lib. 2. de Sermone Domini cap. 21. ait: *Quædam facta sunt media, quæ possunt bono vel malo animo fieri.* Conantur etiam aliqui hoc probare ex Conc. Constant. quod Sess. 25. inter alios articulos Joannis Hus ponit hunc damnatum: *Nulla sunt opera indifferentia.* Sed certè per hoc nihil probant; cùm Conc. non intenderit ibi Scholasticas opiniones circa actus indifferentes componere, sed memoratam propositionem ad mentem duntaxat illius Hæresiarchæ damnare, qui (ut ex sequentibus illius verbis patet) censebat, non dari opera media inter bona & mala ratione statūs operantium, existimans omnia opera justorum esse viva & bona, ac omnia opera peccatorum esse peccata; quod est erroneum dicere.

¶ 1. Probatur 3. Authoritate Doctoris Angelici, qui 1. 2. q. 18. art. 8. ait: *Contingit autem, quod objectum actus non includit pertinens ad ordinem rationis, sicut levare festucam de terra, ire ad campum, & hujusmodi; & tales actiones secundum speciem suam sunt indifferentes.* Prob. 4. Author. Doctoris Subtilis, qui 2. Dist. 41. q. unica §. aliter v. suntergo. ista formalia habet: *Sunt ergo multi actus indifferentes non tantum secundum esse, quod habent in specie naturæ, sed etiam secundum esse, quod habent in esse morali.* Ubi loquitur de actibus secundum rationem specificam; cùm statim inferius specialiter agat de acti-

actibus indifferentibus in individuo, inquiens: *Multi etiā singulares actus eliciti sunt indifferentes*: alias superflue ac sine omni necessitate post unam aut alteram lineam idem omnino repetet; quod de tali Doctore, in cuius Libris cuncta in numero, pondere & mensura sine omni prorsus superfluitate posita summoperè eluent, neutiquam supponendum atque judicandum esse videtur.

**12. Prob. 14.** ratione: Dantur objecta, quæ præcisè in se considerata nec bona sunt & honesta, nec mala & inhonesta: ergo dantur etiam actus, qui tendunt in talia objecta, nec boni & honesti, nec mali & inhonesti, consequenter indifferentes. Conseq. patet; quia etiam in genere moris actus saltem extrinsecè specificantur ab objectis, & juxta ipsos Adversarios ideo non darentur actus indifferentes secundum speciem, quia nequeunt dari objecta indifferentia, in quæ tenderent tales actus. Prob. ergo Ant, quod dentur talia objecta propterea indifferentia, primò ex Seraphico & purpurato Doctore nostro Divo Bonaventura, qui Lib. 2. Dist. 41. q. 3. art. 1. §. *Respondeo ad argumentum*, ita loquitur: *inter bonum autem in genere, & malum in genere cadit medium indifferens simpliciter*. Secundò ratione: Dantur objecta, quæ in se præcisè considerata neque sunt conformia, neque disformia rectæ rationi: ergo dantur objecta, quæ in se præcisè considerata nec sunt bona & honesta,

nec mala & inhonesta. Conseq. iterum patet; nam bonitas moralis nihil aliud importat, quam regulabilitatem seu conformitatem ad rectam rationem præcipientem vel consulentem; sicut malitia difformitatem. Prob. Ant. festuca ad elevandum, manus ad fricanum, &c. sunt talia objecta, quæ præcisè in se considerata neque sunt conformia rectæ rationi præcipienti aut consulenti, neque difformia: ergo dantur objecta, quæ præcisè in se considerata neque sunt bona, honesta ac conformia, neque mala, inhonesta & difformia; consequenter etiam actus, qui tendunt in talia objecta, & à quibus specificantur, erunt neque boni, honesti ac conformes rectæ rationi præcipienti aut consulenti, neque mali, inhonesti & difformes, sed omnino indifferentes. Antec. constat; quod enim objectum sit conforme vel difforme rectæ rationi, hoc habet ex lege præcipiente, consulente vel prohibente naturali, divina, vel humana: unde cum nulla lex respectu talium objectorum adsit, manet, quod sint objecta neque præcepta, neque consulta, neque prohibita, sed merè indifferencia.

13. Respondet primò ad hoc noster P. Angelus Vulpes loco suprà citato art. 9. n. 5. Quod ejusmodi actus juxta Scotum 2. Dist. 41. q. un. §. aliter vel non sint humani, urytote ex sola imaginatione pendentes, & non ex libero arbitrio imperati; vel si sunt humani procedentes

ex deliberatione, eo ipso sint boni, vel mali: siquidem intellectus tunc proponit objectum vel ut conveniens rectæ rationi, vel ut disconveniens; si primō modō, actus, per quem voluntas liberè tendit in objectum, erit bonus: si secundō modō, ut malus specificabitur ab illo. Contra est: quia P. Vulpes videtur æquivocè sumere istum terminum *conveniens*: nam dupliciter accipi potest, vel negativè, in quantum denotat omne illud, quod non reprobatur à recta ratione; vel positivè, quatenus importat illud, quod habet veram positivam conformitatem ad rectam rationem. Primō modō objectum etiam indifferens dici poterit conveniens rectæ rationi; non autem secundō modō. Neque ex hoc sequitur, quod sit disconveniens, seu contrarium ac difforme rectæ rationi, quia non reprobatur ab illa, sed merè permittitur.

14. Respondet 2. Doctissimus Cardinalis Pallavicinus apud P. Haunoldum in sua Theologia Speculat. Lib. 3. Tract. 1. C. 5. Controv. 3. Cùm natura ordinaverit hominem ad ultimum finem, nihil instituit otiosum & frustraneum in ordine ad consecutionem ejusdem finis; qualia essent illa objecta, quorum neque elec̄tio, neque repudiatio quidquam conduceret ad illum finem obtinendum; natura enim nihil facit frustrà, ut Aristoteles loquitur. Contra est: quia natura nihil fecit frustrà, etiamsi instituit hujusmodi objecta indifferentia; nam simul satis

providit, ut talia objecta semper essent ordinabilia ad recipiendam honestatem ex fine extrinseco & alijs circumstantijs. Deinde licet non conducant objecta mete indifferentia in ordine ad consecutionem ultimi finis proxime, sicut objecta honesta: conducunt tamen remotè ex hoc, quod inserviant naturæ rationali ad aliqualem utilitatem vel delectabilitatem moderatam.

15. Respondent 3. Quidam Thomistæ, qui, ne propter hoc, quod admittant actus in specie indifferentes, cogentur etiam admittere actus indifferentes in individuo, cum non detur species sine omni individuo, ut infrà dicetur; assertunt, hanc speciem in differentiæ non esse positivam, sed negativam, id est, per solam privationem bonitatis & malitiae, ideoque non opportere, ut re ipsa in individuo reperiatur, sed satis esse secundum præcisionem intellectus, ita ut dentur actus in specie sua, & ex objecto indiferentes, negativè solum & præcisivè, non verò positivè. Contra est: Licet enim actus indifferens ex objecto dicat etiam negationem seu privationem bonitatis & malitiae, hæc tamen non est ratio formalis constitutiva actus indifferentis secundum speciem; sed tantum est quoddam connotatum, ut suprà num. 5. dicebatur: & ideo necesse est, ut actus sic indifferens habeat ex objecto suo aliquam speciem positivam, seu ut positivè specificetur ab objecto.

16. Confirmatur 1. Datur in actibus huma-

nis bonitas & malitia specifica : ergo etiam datur in actibus humanis indifferentia specifica. Ant. patet ; potest enim actus humanus tam bonus , quam malus considerari ut tendens in objectum vel bonum vel malum in se spectatum , abstrahendō ab omnibus circumstantijs. Prob. conseq. Sicut objectum à recta ratione propositum ut bonum , vel ut malum refundit bonitatem aut malitiam primariam ac essentialem in actum abstrahendō ab omnibus circumstantijs , quæ tantum refundunt in actum bonitatem vel malitiam secundariam & accidentalem ; sic etiam objectum à recta ratione propositum ut indifferens refundit indifferentiam essentialem ac primariam in actum , abstrahendō à circumstantijs , quæ possunt tantummodo refundere in actum indifferentiam accidentalem & secundariam : ergo si datur in actibus humanis bonitas & malitia specifica , etiam dabitur in illis indifferentia specifica. Prob. Ant. objectum non specificat aliter actum in genere moris , nisi in quantum à recta ratione voluntati propositum : ergo si recta ratio proponit objectum ut bonum , refundet bonitatem in actum ; si ut malum , malitiam ; si ut indifferens , indifferentiam refundet in illum , abstrahendō etiam ab omnibus circumstantijs.

**17.** Respondent Adversarij , & negant suppositum , quod nempè objectum possit ab intellectu proponi voluntati ut indifferens ; quia juxta illos semper est vel conforme , vel difforme

recte

recte rationi, consequenter nequit aliter, quam  
sub ista ratione representari ab intellectu, nec  
voluntas potest hoc aliter amplecti, & produce-  
re circa illud actum, nisi vel bonum vel malum.  
Contra est: quia recta ratio voluntati objectum  
ita proponere potest, ut in proponendo illud  
nec voluntati suadeat & præcipiat, nec consu-  
lat, nec dissuadeat ac prohibeat, sed solum per-  
mittat: Hinc actus transiens super tale objectum,  
seu tendens in illud sic à ratione propositum,  
positivam ab eo accipit indifferentiæ speciem; &  
sic ordinem positivum per modum accessus di-  
cit ad rationem merè permittentem. Quod au-  
tem detur ratio, lex ac regula intrinseca per-  
mittens, expressè docet Divus Thomas I. 2. q.  
92. art. 2. dicens: *Sunt autem tres differentiae hu-  
manorum actuum; nam quidam actus sunt boni ex  
genere, qui sunt actus virtutum, & respectu ho-  
rum ponitur legis actus præcipere, vel imperare:  
præcipit enim lex omnes actus virtutum, ut dici-  
tur s. Ethic. Quidam vero sunt actus mali ex ge-  
nere: sicut actus vitiosi: & respectu horum lex ha-  
bet prohibere. Quidam vero ex genere suo sunt  
actus indifferentes: & respectu horum lex habet  
permittere.* Mirum itaque est, quod plures  
Thomistæ negent, præter rectam rationem præ-  
cipientem, consulentem & prohibentem dari  
quoque permittentem, per quam actus indiffe-  
rentes regulantur; cum tamen hanc Doctor An-  
gelicus loco primùm cit. clarissimis verbis ad-  
mittat.

18. Confirmatur 2. Datur actus indifferens in individuo : ergo datur etiam actus indifferens secundum speciem. Antec. patebit ex quæst. seq. Probatur conseq. Ratio individualis semper presupponit rationem specificam , cuius est contractiva ac determinativa : sed juxta dicenda datur in actu humano vera ratio individualis indifferens: ergo presupponit quoque rationem specificam indifferentem, cuius in genere moris est contractiva & determinativa. Prob. maj. In quolibet individuo reperitur ratio specifica contracta & determinata ad illud individuum : ergo ratio individualis semper presupponit rationem specificam , cuius est contractiva & determinativa. Alias , si omnis actus secundum speciem & ex objecto suo necessariò esset bonus vel malus , talis quoque necessariò esset in individuo ; cum omnino repugnet , dari aliquod prædicatum specificum , quod non sit in omni individuo talis speciei ; consequenter si non datur actus indifferens secundum speciem , neque poterit dari actus indifferens in individuo. Nec dicant Adversarij , quod hoc tantum verificetur respectu individuorum in genere physico & naturæ , non autem in genere moris. Sicut enim ratio individualis in genere naturæ & physico debet habere naturam communem ac specificam , quam contrahat , & determininet ad hoc , ut sit numericè indivisibilis in plures partes subjectivas : ita pariter ratio individualis indiffe-

rens

rens in genere moris debet habere aliquam moralitatem indifferentem communem ac specificam ex objecto, quam suô modô contrahat, & determinet.

### §. III.

#### *Solvuntur Objectiones.*

¶ 9. **O**bijc. I. Author. Doctoris Subtilis, qui in 2. Dist. 7. q. un. §. De primo dieo. ¶ *Quaelibet istarum malitiarum dicit: Sicut inter privationem & habitum immediatum non est medium; ita bonum ex genere & malum ex genere sunt contraria immediata. Ratio est: quia actus non potest esse, quin transeat super objectum, & illud necessariò est conveniens, vel disconveniens actui; & ita necessariò actus bonus ex genere ex objecto convenienti, vel actus malus ex genere ex objecto disconvenienti.* Ex quibus verbis Adversarij in forma sic argumentantur: Omne objectum vel est conveniens, vel disconveniens rationi, cum juxta Scotum mox citatum inter hæc non detur medium; ergo, cum actus saltē extrinsecè specificetur ab objecto, secundum suā speciē vel erit bonus vel malus, consequenter nunquam indifferens. ¶ Dist. Ant. omne objectū vel est conveniens, vel disconveniens rationi præcipienti, consilenti vel saltē permittenti, conc. Ant. Omne objectum vel est conveniens, vel disconveniens semper rationi præcipienti aut

consulenti, neg. ant. Si enim convenientia sumatur pro conformitate ad rationem præcipientem vel consulentem; tunc negatur, non dari medium inter objectum sic conveniens & disconveniens; nam dari potest objectum, quod neque cum tali convenientia à ratione proponitur, neque cum disconvenientia opposita, sed solum permittitur. Si verò convenientia sumatur pro conformitate ad rationem non tantum præcipientem & consulentem, sed etiam permittentem, tunc libenter conceditur, non dati medium inter objectum conveniens & disconveniens. Pariformiter negatur conseq. quia sub hoc membro duæ moralitatis species continentur; convenientia enim ad rationem præcipientem & consulentem facit bonitatem; ad permittentem verò facit indifferentiam.

20. Ex quibus patet, Doctorem Subt. in loco cit. loqui de bono latè sumpto & malo eidem opposito, inter quæ non mediat aliquid: bonum autem latè sumptum est illud, quod excludit malum; hinc sub bono in ista acceptione etiam comprehenditur actus indifferentis, ita ut dicatur in hoc sensu bonus, quia nimis actus indifferentis quâ talis non est malus, & quia potest fieri bonus ex circumstantijs & fine extrinseco. Itaque loquendo de bono latè sumpto & malo eidem opposito hæc duo sunt immediate contraria, & inter ea non mediat aliquid tertium, seu actus indifferentis, quia hic reducitur

ad primum membrum, puta ad bonum: mediat tamen talis actus inter bonum strictè sumptum, prout nempe importat conformitatem actus ad rectam rationem, quæ proponit legem præcipientem vel prohibentem; & inter malum strictè sumptum, id est, prout importat carentiam talis conformitatis: quia actus indifferens nec importat conformitatem ad rectam rationem, quæ proponit legem præcipientem, vel prohibentem, nec carentiam talis conformitatis, sed indifferentiam ad utrumque.

**21.** Obijc. 2. Inter privativè opposita non datur medium: sed actus bonus in genere, & actus malus in genere, seu ex objecto sunt privativè oppositi: ergo inter istos duos actus non datur medius, seu indifferens. **R. 1.** Dist. min. sed actus bonus in genere, & actus malus in genere sunt privativè oppositi, ita quidem, ut actus bonus saltem latè sumptus includat quoque actum indifferentem, conc. min. secùs, neg. min. Et sic ultrè conceditur, quod inter actum bonum & malum utpote privativè oppositos nequeat dari medius: sicut enim malitia est privatio bonitatis strictè talis, seu regulabilitatis passivæ, & conformitatis ad rectam rationem regulantem præcipientem vel consulentem; ita pariter est privatio bonitatis minus strictè talis, seu regulabilitatis passivæ & conformitatis ad rectam rationem regulantem permittentem. **R. 2.** Dist. maj. inter privativè opposita non datur medium

in proprio subjecto necessariò susceptivo alteriusutriusque ex contrarijs , conc. maj. in subjecto non proprio & necessariò susceptivo alteriusutriusque ex contrarijs , neg. maj. Similiter conc. min. Dist. conseq. ergo inter istos duos actus non datur medius , seu indifferens , si actus ille , qui dicitur medius , seu indifferens , esset proprium subjectum necessariò susceptivum vel bonitatis vel malitiae , conc. conseq. si non est tale subjectum , neg. conseq. Quia non omnis actus moralis est necessariò susceptivus bonitatis vel malitiae ex objecto defumpta ; sed ille solum , qui habet objectum bonum ac honestum , vel malum & inhonestum : unde actus neuter seu indifferens non est subjectum aptum bonitatis vel malitiae ex tali objecto recipiendæ.

22. Inst. Talis actus est subjectum capax bonitatis vel malitiae : ergo nulla responsio. Prob. Ant. Si talis actus ordinatur ad finem bonum , suscipit bonitatem ; si ad finem malum suscipit malitiam : ergo talis actus est subjectum capax bonitatis vel malitiae. Rq. Dist. Ant. Est subjectum capax bonitatis vel malitiae ex circumstantia finis , conc. Ant. ex objecto , neg. Ant. & conseq. Licet enim actus ex objecto indifferens præter suam indifferentiam essentialē , seu regulabilitatem passivam per rectam rationem permittentem importet etiam indifferentiam accidentalem , seu capacitatē ad recipiendam bonitatem vel malitiam ex fine extrinseco aliisque circu-

circumstantijs: hoc tamen non ita intelligendum est, quasi actus ex objecto indifferens habeat capacitatem immediatè recipiendi bonitatem vel malitiam manens talis; sed in quantum per circumstantias potest determinari, & transferri ad aliud esse.

23. Urg. Ex hoc sequeretur, quod actus ex objecto indifferens non esset moralis: ergo. Prob. Ant. Ille actus non est moralis, qui non est aptus fundare rectitudinem seu conformitatem virtutis, vel disformitatem vitij: sed si daretur talis actus ex objecto indifferens, non esset aptus fundare rectitudinem seu conformitatem virtutis, vel disformitatem vitij: ergo non esset moralis. R. neg. Ant. ejus prob. maj. Dist. qui non est aptus fundare rectitudinem seu conformitatem virtutis, vel disformitatem vitij tam ex objecto, quam ex circumstantijs, conc. maj. qui non est aptus ex objecto quidem, bene tamen ex circumstantijs, sicut actus secundum speciem indifferens, neg. maj. Non enim requiritur ad hoc, ut aliquis actus dicatur moralis, quod possit fundare rectitudinem virtutis, vel disformitatem vitij ex objecto; sed sufficit, quod possit eam fundare per determinationem ex circumstantijs. Ideoque actus ex objecto indifferens est aptitudinaliter bonus vel malus per ordinem ad circumstantias.

24. Ob. 3. Eo ipso, quod actus sit referibilis in finem honestum, est honestus: sed actus, qui di-

citur secundum speciem indifferens, est referibilis in finem honestum ex circumstantijs: ergo est honestus ac bonus. *Ex. Dist.* maj. Eo ipso, quod actus sit proxime referibilis in finem honestum, est honestus, conc. maj. Eo ipso, quod actus sit tantum remotè referibilis in finem honestum, est honestus, neg. maj. *Dist.* similiter min. sed actus, qui dicitur secundum speciem indifferens, est remotè referibilis in finem honestum ex circumstantijs, conc. min. est proxime referibilis, neg. min. & conseq. Ideoque actus ex objecto indifferens non est proxime referibilis in finem honestum, sicut actus ex objecto bonus ulterius est referibilis in finem honestum ex circumstantijs: sed tantum est remotè, & per accidens referibilis in finem honestum; si enim circumstantiae nullum talem finem superaddent, manebit indifferens, & nunquam evadet honestus, ac bonus.

*25. Ob. 4.* Objectum, quod vocatur indifferens, etiamsi non referatur in aliud finem honestum, habet tamen aliquam bonitatem, ob quam à voluntate per suum actum in illud tendente amatur: ergo actus, per quem voluntas tendit in tale objectum, non erit indifferens, sed similiter bonus, sicut objectum illius. *Prob. Ant.* Objectum voluntatis semper debet esse aliquid bonum, sicut objectum intellectus semper est aliquid verum: ergo objectum, quod vocatur indifferens, etiamsi non referatur in aliud finem honestum,

nestum , habet tamen aliquam bonitatem , ob  
quam à voluntate amatur . &c. Dist. Ant. habet  
aliquam bonitatem utilem , commodam , vel de-  
lectabilem , conc. Ant. Habet aliquam bonita-  
tem honestam , neg. Ant. & consequentiam .  
Ideoque bonitas objecti , quæ reddit actum bo-  
num ac honestum , nec in utilitate , nec in dele-  
ctabilitate consistit , sed in honestate , conseq-  
uenter objectum non dicitur bonum moraliter , eo  
quod sit utile vel delectabile , sed quia hone-  
stum ; nec malum moraliter , quia inutile & in-  
jucundum , sed quia in honestum . Ratio hujus  
est : quia bonum utile ac delectabile indifferen-  
ter possunt esse objectum bonæ aut malæ actio-  
nis moralis ; sicut etiam malum inutile , ac inju-  
cundum : nam si utile est ad consequendum fi-  
nem honestum , potest ut bonum amari ; si est  
ad finem turpem , minimè : & sic bonum utile  
nunquam esse potest objectum actus boni , nisi  
in ordine ad finem honestum . Id ipsum de bono  
delectabili constat , quod per se tribuere nequit  
actui moralem bonitatem ; nam sapissimè illud ,  
quod delectat , non est honestum , sed turpe , ut  
v.g. fornicatio : econtra illud , quod non dele-  
ctat , ut honestum ut jejunium : quapropter  
tunc solùm potest delectabilitas reddere actum  
bonum , quando est cum honestate conjuncta .  
Ex quo tandem sequitur , illud objectum cense-  
ri moraliter bonum quod est honestum ; non au-  
tem quod est utile vel jucundum , adeoque tan-  
quam

quam utile vel delectabile nullam bonitatem honestam in actum refundere potest.

26. Ob. 5. Nullus actus humanus respicit suū objectum sub ratione indifferentis ad bonum & malum, sed determinatè sub ratione boni vel mali: ergo nullus actus est indifferens secundùm suam speciem. Prob. Ant. omnis actus respicit suum objectum sub ratione convenientis vel inconvenientis, consequenter determinatè sub ratione boni vel mali. R. neg. Ant. cum sua prob siquidem bonum in esse naturæ potest esse malum, vel neutrum, seu indifferens in esse moris. Quare si aliqua actio humana fiat ab homine ob aliquam naturæ necessitatem vel utilitatem, quæ modica reputatur, quamvis talis actionis objectum sit bonum in esse naturæ; in genere moris tamen erit indifferens: cùm enim ejus objectiva bonitas levis sit, ac parvi momenti, non est apta movere intellectum ad ejus prosecutionem præcipiendam vel consulendam: Ideoque, cùm notabiliter nec deceat, nec dedecet rationalem naturam, nequit terminare aut specificare actum honestum in genere moris, sed tantùm indifferentem. Nec dici potest ita naturæ rationali conveniens aut inconvenientis, sicut requiritur ad bonitatem vel malitiam objectivam constituendam in genere moris, sed in tantum naturæ rationali convenit, ut importat solam indifferentiam ac neutralitatem.

27. Ob. 6. Illud, quod alicui per se convenit,

fem-

semper & ubique convenit: ergo, si datur actus secundum suam speciem & per se indifferens, semper manebit talis etiam in individuo, neque unquam fieri poterit bonus vel malus. & transmissio Ant. Dist. conseq. ergo, si datur actus secundum suam speciem, & per se indifferens, semper manebit talis, si moralitas esset actui essentialis in genere naturæ & esse physico, conc. conseq. Si moralitas est actui tantum accidentalis, neg. conseq. Siquidem quando actus ex objecto alijs essentialiter bonus refertur in finem malum, eo ipso talem bonitatem amittit, & fieri totaliter malus, ut etiam ipsi Adversarij fatentur; cum bonum sit ex integra causa, & nequeat dari actus simul bonus & malus: licet enim talis bonitas sit actui essentialis in genere moris; est tamen eidem solummodo accidentalis in esse naturæ. Sic pariformiter discurrendum est de indifferentia specifica, & ex objecto desumpta; quæ licet sit actui indifferenti essentialis in genere moris; est tamen illi accidentalis in genere naturæ & esse physico, consequenter ab eo separabilis adveniente fine vel aliâ circumstantiâ bona aut malâ.

28. Ob. 7. Actus indifferens non dicit ordinem ad rationem regulantem: ergo nullam speciem constituit in genere moris. & Dist. Ant. actus indifferens non dicit ordinem ad rationem regulantem præcipientem, consulentem aut prohibentem, conc. Ant. actus indifferens non dicit ordi-

ordinem ad rationem regulantem permittentem , neg. Ant. Dist. similiter conseq. ergo nullam speciem constituit in genere moris , si non diceret ordinem ad rationem regulantem tam præcipientem , consulentem aut prohibentem , quam permittentem , conc. conseq. Si saltum dicit ordinem ad rationem regulantem permittentem , neg. conseq. Unde actus indifferens habet positivum & specialem ordinem ad rationem & legem , distinctum ab ordine conformitatis seu bonitatis & disformitatis seu malitiæ , quem actus boni vel mali dicunt ad rationem regulantem.

29. Ob. 8. Si daretur actus indifferens secundum speciem , deberet participare proprietates ac passiones actui morali competentes : sed nequit participare tales proprietates ac passiones : ergo non datur talis actus secundum speciem indifferens. Maj. constat ; implicat enim haberi aliquam entitatem in quocunque demum genere sine proprietatibus ac passionibus necessariò ad talem entitatem consequentibus , & ab eadem inseparabilibus. Prob. min. intra genus moris non dantur aliæ proprietates ac passiones , nisi quæ competit actibus humanis ratione bonitatis & malitiæ , nempe meritum & demeritum , laudabilitas & vituperabilitas : sed istas proprietates nequit participare actus secundum speciem indifferens : ergo. Min. iterum patet ; quia actus indifferens nec meritarius est , nec demerito.

ritorius , nec laudabilis , nec vituperabilis. R<sup>e</sup>. neg. min. cuius prob. min. Dist. istas proprietates nequit participare actus secundum speciem indifferentis sub illa ratione , sub qua participant actus boni vel mali , conc. min. istas proprietates nequit participare actus secundum speciem indifferentis sub alia ratione , neg. min. & conseq. Quia in genere moris alia est laudabilitas , quæ debetur operanti juxta præceptum dictaminis practici: alia vero , quæ debetur operanti & operandô non violanti præceptum ejusdem dictaminis : quæ laudabilitas est minima in genere moris : potest tamen adhuc dicitur laudabilitas , quia non tantum ille laudabilis est , qui operandô conformatur rectæ rationi , sed etiam ille , qui operandô eam non violat , nec contra illam facit : qua duplici laude privatur , qui operatur contra dictamen rationis. Et hæc minima laudabilitas debetur etiam actibus indifferentibus. Unde accipiendo meritum & laudem in hac latitudine , imputabilitas veluti passio sequitur totum genus moris , non tantum ut comprehendit bonitatem & malitiam , sed etiam ut complebitur indifferentiam. Et sic quoque actui indifferenti suo modô responderet imputabilitas , quæ dicitur esse passio totius generis moris adæquata ; correspondere enim eidem potest talis laus , qualis competere potest non violanti præceptum vel consilium legis & rationis.

30. Ob. 9. Ille actus dicitur bonus , qui habet debi-

debitam perfectionem bonitatis ; malus vero  
vocatur , cui aliquid de hac deficit : sed necesse  
est, quod omnis actus vel habeat totam plenitu-  
dinem suæ bonitatis , vel aliquid ei de hac defi-  
ciat : ergo etiam necesse est , quod omnis actus  
secundum speciem suam sit bonus vel malus , &  
nullus indifferens. *q. Dist.* min. Sed necesse est ,  
quod omnis actus vel habeat totam plenitudi-  
nem suæ bonitatis aut honestæ , aut utilis , aut  
delectabilis , vel aliquid ei de hac deficiat, *conc.*  
*min.* Necesse est , quod omnis actus vel habeat  
totam plenitudinem suæ bonitatis semper hone-  
stæ , vel aliquid ei de hac deficiat , *neg. min.* Sic  
etiam *dist. conseq.* ergo etiam necesse est , quod  
omnis actus secundum speciem suam sit bonus  
vel malus , si omnis actus semper deberet habe-  
re totam plenitudinem bonitatis honestæ , vel  
defectum ejus , *conc. conseq.* si non semper de-  
bet habere totam talem plenitudinem bonitatis  
honestæ , vel defectum ejus , sed sufficit , quod  
habeat totam plenitudinem bonitatis utilis vel  
delectabilis , *neg. conseq.* Cùm enim juxta dicta  
actus possit esse triplici modo bonus in genere  
moris , vel bonitate honesta , vel bonitate utili,  
vel bonitate delectabili ; hinc quilibet ex illis  
actibus possidet totam plenitudinem propriæ suæ  
bonitatis ; scilicet actus bonus honestus in linea  
bonitatis honestæ , actus bonus utilis in linea  
bonitatis utilis , actus bonus delectabilis in linea  
bonitatis delectabilis ; dummodo habeat omnia  
illa,

illa, quæ recta ratio dicit, debere tali actui inesse. Ex quo evidenter patet, quod actus secundum speciem differens adhuc possit, ac debeat dici verè bonus bonitate utili, vel delectabili, quatenus possidet totam plenitudinem talis bonitatis utilis, vel delectabilis, & nihil omnino de illis deest, quæ recta ratio dicit, debere inesse: nam si unicum desit, eo ipso non erit amplius actus differens, sed malus ac dishonestus in genere moris. Et hæc sufficiant de actu humano secundum speciem, seu ex objecto differente. Modò restat major adhuc difficultas ac controversia inter Theologos de actu humano secundum rationem individuam differente. Ideoque ponitur

## QVÆSTIO II.

*An detur actus humanus indifferens in individuo?*

### §. I.

*Premittuntur quadam scitu necessaria.*

31. **O**bservandum 1. Examinato actu humano in præcedenti quæstione secundum suam speciem differente, modò eundem considerandum venire in individuo, seu non tantum in ordine ad objectum, sed

etiam secundum circumstantias ipsum individuantes atque singularizantes. Abeunt Thcologi in duas vias: Scotus in 2. Dist. 41. q. un. §. Alter. p. Sunt ergo. Divus Bonaventura Lib. 2. Dist. 41. q. 1. art. 2. Alensis Part. 3. q. 35. memb. 3. Almain. Tract 1. Moral. cap. 14. Angestus cap. 8. Moral. Vasquez Disp. 52. cap. 2. Et plurimi alij tam Scotistæ , quām Recentiores affirmativam amplectuntur sententiam. Negativam autem tenet sanctus Thomas 1. 2. q. 18. art. 9. ubi exp̄ressè ait : Respondeo , dicendum , quod contingit quandoque , aliquem actum esse indifferentem secundum speciem , qui tamen est bonus , vel malus in individuo consideratus. Doctorem Angelicum sequuntur omnes fermè Thomistæ , Cajetanus , Conradus , Medina , Albertus Magnus , & plures Recentiores Gregorius de Valentia , Azorius , Suarez , Tannerus , Haunoldus , alijque , qui unanimiter sentiunt , omnes actiones humanas , quantumvis ex sua specie indifferentes , semper in individuo , dum fiunt deliberatè , bonas esse , aut malas . Pro majori hujus elucidatione .

32. Observandum 2. Quod juxta Doctorem Subtilem atque Angelicum ex triplici capite bonitas & malitia in actum derivetur , nempè ex objecto , ex fine extrinseco , qui dicitur finis operantis , ac denique ex circumstantijs . Rationem dat Scotus in 2. Dist. 7. q. unic. Quia bonitas moralis consistit in omnium eorum integritate ,  
quæ

quæ requiruntur in actu secundum rectam rationem: recta autem ratio dicit, actum debere versari circa honestum objectum, propter finem honestum, & cum honestis circumstantijs; nam si in aliquo istorum adsit quædam turpitudo, jam actus non erit amplius honestus, sed turpis; quia malum ex quocunque defectu.

33. Observandum 3. Jam dictum fuisse in q. 1. duplicem esse bonitatem & malitiam actuum moralium, alteram substantialem, & primatiam, quam ex objecto delumunt; alteram accidentalem & secundariam, quam habere dicuntur ex circumstantijs. Unde nomine circumstantiarum hic intelligitur illud, quod circumstat objectum actus, & actum ipsum jam constitutum in suo esse specifico, atque illi aliquo modo accidit, non tantum in esse naturæ considerato, sed etiam in genere moris. In qua explicatione circumstantiarum conveniunt Theologi omnes. Unde patet, Angelum Vulpes Diip. 69. art. 3. non recte docere, dum inquit, nomine circumstantiarum hic intelligi, quidquid accidit actu humano in esse naturæ; & in genere moris nomine circumstantiarum significari potius aliquid pertinens ad illius essentiam: oppositum namque deducitur vel ex ipso nomine circumstantiarum, quæ, ut vox ipsa indicat, est accidentis actus humani in genere moris, quod adesse, vel abesse potest salva specifica ac essentiali bonitate, vel malitia, quam actus anteà supponitur ex objecto.

contraxisse. Qua ratione circumstare dicitur, non verò constituere, vel integrare actum in sua essentia; sicut accidens physicum circumstat, & adjacet, non verò constituit, vel integrat subiectum, cui advenit. Sunt autem circumstantiæ actus humani in duplice differentia; aliæ dicuntur impertinentes ad actum moralem, id est, quæ nullō modō variant ejus moralitatem; ut occidere hominem ante, vel post prandium, orare manè, vel serò, &c. & hæ propriè non sunt circumstantiæ actus moralis, sed materialiter solum, & per accidens se habent ad illum. Aliæ verò circumstantiæ vocantur pertinentes; & hæ formaliter sunt veræ circumstantiæ, quia aliquō modō per se circumstant, & afficiunt actum moralem tanquam accidentia ipsius, & ad ipsum spectantia in genere moris in ordine ad bonitatem, vel malitiam accidentalem, ac secundariam.

## §. II.

### *Resolvitur Quæstio.*

34. **D**atur actus indifferens etiam in individuo. Ita Schola Subtilis, uno aut altero degenerè Scotista excepto contra Scholam Angelicam, plurésque Recentiores. Probatur i. Author. SS. PP. quos adducit Vasquez Disp. 52. cap. 2. & 3. Nobis sufficiat S. Hieronymus jam supra citatus, qui Epist. ad August.

August. 89. non tantum admittit operationes humanas in specie, sed etiam in individuo indiferentes, dum dicit: *sive enim illa ( intellige ambulationem, purgationem capitis, &c.) feceris, sive non feceris, nec justitiam habebis, nec iniustitiam.* Nec possunt hæc verba intelligi de operationibus ex objecto, seu ex genere suo indiferentibus; nam loquitur ibi S. Doctor de ijs, prout defactò in individuo fiunt, seu exercentur, ut indicat illa particula *feceris*, quæ actum singularem cum omnibus circumstantijs, quas habet à parte rei, denotat: quidquid enim fit, utique in individuo fit; *cum actus sint singulare*, ex 2. Metaph. Neque etiam possunt eadem verba explicari de operationibus meritorijs, & demeritorijs, sicut vult clarissimus aliquis Doctor ac Professor quondam Universitatis Diliganae è laudatissima Societate Jesu in suis questionibus in Scholis Thomistica & Scotistica, ac inter Recentiores magis controversis Quæstione 2. ) nam si non sunt indiferentes, erunt necessariò vel bonæ, vel malæ: si malæ; eo ipso erunt demeritoriae: si bona; ergò erunt meritoriae, quia ratio meriti ac demeriti, laudis & virtutis tanquam passiones morales bonitatem ac malitiam moralem sequuntur. Deinde si illa opera à S. Hieronymo recensita essent bona, essent quoque opera virtutum moralium, & numerarentur ab eodē inter bona, quæ faciens ju-

stitiam habet, ut est continentia; cùm tamen ponat discrimen inter illa opera.

35. Prob. 2. Author. Seraphici ac purpurati nostri Doctoris Divi Bonaventuræ, qui loc. suprà cit. sic habet: *Non omnis actio non ordinata ad Deum tanquam ad finem, est mala: quia quedam non ordinatur propter inordinatam conversionem ad creaturam. Quædam verò non ordinatur propter operationis infirmitatem & misericordiam. Prima differentia actionis non ordinata est mala malitia commissionis. Secunda est mala malitia omissionis. Tertia verò neutrō modō est mala, sed est indifferens. Talis autem actio est, quando quis facit aliquam operationem, ita quod circa creaturam non afficitur inordinata; nec tamen illam operationem comparat ad Deum, sed facit propter aliquem finem, qui respicit indigentiam naturæ; ut cùm aliquis ambulat, ut recreetur, vel comedit, ut reficiatur: talis actio indifferens judicatur, quia Deus nec illam remunerat, nec imputat in culpm. Et hoc quia in tali actione non est malitia commissionis, quia non est inordinata dilectio: nec etiam omissionis; non enim semper omittit homo, quando actiones suas non referit in Deum. Indulgetur enim naturæ fragili & infirma, ut multa possit talia facere. Nec Deus requiri ab homine in tali statu distractionis & misericordia, quod omnia, quæ facit, referat ad se. Concedendum est igitur, sicut rationes quædam ostendunt, quod divisio actionis per bonam & mala-*

non est per differentias immediatas pro eo, quod inter has differentias contingit, reperi medium. Nec dicant Thomistæ, quod Doctor Seraphicus tantum loquatur de actibus sufficientem deliberationem excludentibus. Expressè enim juxta tertiam sententiam, quam amplectitur, in operationibus deliberatis posse esse aliquam actionem indifferentem; siquidem nemo dubitat, quod actum indeliberatum nec remuneretur Deus, nec imputet in culpam; consequenter Divus Bonaventura loquitur de talibus operationibus, quæ sunt capaces, ut à Deo remunerari, vel ad culpam imputari valeant saltem tunc, quando illis honestus additur finis; quales non sunt actiones indeliberatae.

36. Prob. 3. Auth. Doctoris nostri Subtilis, qui loco cit. ita expressè, & quasi evidenter stat pro nostra sententia, ut sane mirandum, quod P. Macedo, qui tamen alias accuratus Scoticæ mentis perscrutator, ac fidelis indifferensque explanator vult videri, istam luce meridiana clarioram veritatem non agnoverit, dum Tom. 2. suarum collationum inter S. Thomam & Scotum Collat. 10. Differentia 4. Sect. 7. dicere audet, mentem Scotti de actibus indifferentibus in individuo minus esse perspectam, quam vulgo existimetur. Audiantur verba formalia Scotti his sonantia: *Multi etiam singulares actus eliciti sunt indifferentes, qui nec sunt tales, neque tales;* & non solum actus non humani, de quibus non est

sermo, sicut movere barbam, levare festucam, & bujusmodi, quæ procedunt ex sola imaginatione, non ex libero arbitrio impellente; sed etiam de actibus libere elicitiis. Rationem assignat ibidem S. Aliter posset dici. V. Secundò etiam modò, inquiens: Non enim tenetur homo, nec tentione necessitatis, contra quam sit peccatum mortale, nec tentione minori, contra quam sit peccatum veniale, referre semper actum suum in Deum actualiter, vel virtualiter; quia Deus non obligavit nos ad hoc. Neque videtur esse in istis actibus sufficiens ratio bonitatis, ut sint meritorij; quia non videtur minor relatio sufficere ad meritum, quam relatio virtualis, qualis non est hic. Ne autem aliquibus etiam Scotistis mens Doctoris Subtilis clarissima in hac Q. obscura adhuc videatur, sciendum est, quod Scotus in ista plures indifferentiæ modos ponat magis vel minus rigorosos. Primo modò vocat actum indifferentem illum, qui tantum est bonus ex suo objecto, nec ullâ circumstantiâ vitiatus, aut per talem magis honestus factus; quatenus enim nec habet bonitatem, nec malitiam ex circumstantijs contrahibilem, potest in hoc sensu dici indifferentis; licet in alio sensu vocari debeat bonus, nempe ex objecto & genere suo. Secundò vocat actum indifferentem illum, qui, etiamsi habeat objectum bonum, finem bonum, ac circumstantias bonas, non tamen procedit ex aliquo habitu virtutis. Tertiò ponit alium indifferentiæ modum in ratione

tione meriti & demeriti in ordine ad vitam æternam; actus siquidem aliás bonus peccatoris nec est meritorius, quia ad meritum de condigno requiritur status gratiæ; nec demeritorius, nam ad hoc requiritur malitia, consequenter est quasi indifferens. Tandem in fine assignat proprium indifferentiæ modum, qui est ad propositum, dum dicit, quod dentur multi actus indifferentes non tantum secundum esse, quod habent in specie naturæ, nec tantum indifferentes ad bonum meritorium & malum demeritorium; sed etiam indifferentes secundum esse, quod habent in genere moris sic enim loquitur Doctor: *Sunt ergo multi actus indifferentes non tantum secundum esse, quod habent in specie naturæ, sed etiam secundum esse, quod habent in esse morali;* & sunt etiam indifferentes ad bonum meritorium, & malum demeritorium, quia unum individuum potest esse tale, & aliud tale. Deinde statim subjungit: *Multi etiam singulares actus eliciti sunt indifferentes, qui nec sunt tales, neque tales;* & non solum actus non humani, de quibus non est sermo, &c. Ex quo evidenter patet, Scotum veram agnovisse & asseruisse actuum humorum indifferentiam, quemadmodum de ea hic movetur quæstio.

37. Habetur quoque clarus textus Doctoris Subtilis in 4. Dist. 6. q. 10. §. Ad questionem: ubi ait: *Tertium de bene & male non est necessarium, quia aliquis potest esse actus indifferens;* si-

est enim ex frequenter bene agere acquiritur habitus inclinans ad bene agendum, & ex frequenter male agere inclinans ad male agendum; sic ex frequenter agere absolute acquiritur habilitas ad agendum tali actione, neque cum bonitate, neque cum malitia; sic nec actus generativus fuit talis vel bonus, vel malus. Non placet hic opinio P. Macedo, qui Tom. 2. suarum Collationum Theologicarum Collat. 10. Differentia 4. Sect. 4. ait, Doctorem Subtilem in locis adductis, tantum velle, quod nullus detur actus indifferens in specie, nec in individuo ex illis, qui sunt morales ex objecto; detur vero actus indifferens in specie, & in individuo ex illis, qui non sunt ex objecto rigorosè & propriè morales. Sed quæro ex hoc caliàs doctissimo viro, utrum concedat, quod actus indifferens sit vera species actus moralis ut sic, vel non? Si primum: ergo actus indifferens erit verus actus moralis; cum quælibet vera species univocè participer rationem sui generis. Si secundum dicit, negando scilicet quod actus indifferens sit vera species actus moralis ut sic, taliter probo: Illa est vera species univoca, quæ præter rationem genericam includit quoque rationem differentialem ac specificam: sed actus indifferens ita se habet: ergo est vera species actus moralis ut sic. Prob. min. Ratio genericæ actus indifferentis est regulabilitas passiva, per quam univocè convenit cum actu morali bono; ratio autem differentialis ac specifica est,

est, quod ista sua regulabilitas sit ac fiat per rectam rationem solummodo permittentem, quam essentialiter ac specie differt ab actu humano bono, qui pro sua ratione generica importat quidem regulabilitatem passivam, utpote sibi communem cum actu indifferente; pro sua ratione autem differentiali ac specifica importat hoc, quod ista regulabilitas sit, ac fiat per rectam rationem præcipientem, consulentem, vel prohibentem: ergo actus differens præter rationem genericam includit quoque rationem differentialem, ac specificam. Multò minus placere potest, quod prænominatus Author actus indifferentes intitulet actus imperfectos: siquidem & isti in ratione ac linea differentiali sunt actus verè perfecti; cum nihil illis defit, quod recta ratio permittens dictat eisdem debere inesse: alias si essent imperfecti, necessariò deficerent in aliquo, quod ad eorum perfectionem moralem sibi propriam requireretur: omnis autem defectus in genere moris importat aliquid peccaminosum, seu carentiam totalis bonitatis, quam recta ratio dictat, debere inesse; consequenter hoc ipso, quod actus indifferentes juxta P. Maccedo essent imperfecti, non manerent amplius indifferentes, sed fierent mali; quia malum ex quocunque defectu, ut inquit Divus Dionysius cap. 4. de Divin. nomin. Nec dicat eximius hic Collationator, quod ideo actus indifferentes sint imperfecti, quia ipsis defit honestas ac boni-

bonitas moralis; cum habeant carentiam negativam finis non debiti, quae carentia negativa imperfectio est, non malitia, nec culpa. Contra est: si enim actus indifferens ut talis consideratur, nunquam sub hac ratione indifferentiali petit honestatem ac bonitatem, ideoque, quando non habet illam, nequit dici, quod deficiat in aliquo, quod ad ipsum necessariò spectaret, & quod recta ratio dictaret, illi debere inesse; alias talis actus omnino esset peccaminosus; quod neque P. Macedo admittit, inquiens, quod carentia ista in actu indifferente non sit malitia & culpa. Habet itaque iste actus seclusa etiam honestate & bonitate omnia illa, quae requiruntur ad perfectionem sibi debitam in linea differentiali. Nec obest, quod actus indifferens juxta dicta in Observando s. q. i. §. i. n. §. præter indifferientiam suam essentialem, seu regulabilitatem passivam per rectam rationem permittentem habeat simul indifferientiam accidentalem, quae est capacitas illa, quam actus indifferens dicit ad recipiendam bonitatem. Quia ista capacitas nihil aliud est, quam aliqua non repugnantia, quatenus nempe actui indifferenti non repugnat, ut fiat bonus adveniente sibi bonitate scilicet ex fine, & alijs circumstantijs; sicut muro albo non repugnat, ut fiat niger adveniente sibi nova forma nigredinis. Et sicut murus albus non dicitur habere defectum, & carentiam aliquius sibi debiti, quando non habet nigredinem,

quam

quam tamen sublata albedine capax est habere : sic etiam actus indifferentes non dicitur habere defectum & carentiam alicujus sibi debiti, quando non habet bonitatem , quam tamen sublatā indifferentiā capax est habere. Quare notanter in illo observando quoque dictum est , quod talis indifferencia accidentalis sit capacitas actūs indifferentis ad recipiendam bonitatem , vel malitiam ex fine & alijs circumstantijs connotando utriusque ( nota ) negationem , non carentiam , seu merum defectum aliquem.

38. Ex quibus patet 1. quām temerariè judicaverit de Scoto Cajetanus in Comment. in q. 17. art. 8. 1. 2. ubi eidem falso contradictionem imponit , forsitan aut non bene intelligens , aut non totum legens Scotum , qui in locis suprà allegatis expressè admittit actum indifferentem tam secundūm speciem , quām in individuo : nullibi autem hoc negare invenitur , ut inferius magis adhuc demonstrabitur. Pater 2. quod nostro P. Pontius in suo Comment. ad Dist. 41. timens , ne contradictionem in Scoto admitterebeat , non bene dicat , Doctorem Subtilem utramque sententiam probabilem duxisse tam illam , quæ affirmat , quām istam , quæ negat actus indifferentes ; ita ut negantem probet in 2. Dist. 7. q. un. Et affirmantem magis probet in 2. Dist. 41. q. un. Sed timebat Pontius , ubi tamen non erat timor . Quia Scotus in nullo ex locis allegatis negat , dari actum indifferentem

in individuo; in secundo quidem expressè illum concedit, ut in §. 1. hujus q. observando 1. vi-dendum, & ipsemet P. Pontius fateretur: in pri-mo autem loco nequaquam negat actum indiffe-rentem, ut dictum est in q. 1. §. 3. n. 19. & 20. quòd, licet non detur medium inter bonum lar-gè sumptum & malum, bene tamen inter bo-num strictè tale ac malum: de quo ibidem Doctor totum discursum suum instituit.

39. Prob. 4. ratione: Dantur non solum ob-jecta in genere moris indifferentia, sed etiam finis extrinsecus, & aliæ circumstantiæ indiffe-rentes: ergo dantur etiam actus indifferentes, qui tendunt in talia objecta, & circumstantias in-differentes. Conseq. patet; nam actus huma-nus desumit suam bonitatem, vel malitiam, pri-mariam quidem ex objecto, secundariam vero ex circumstantijs: ergo, si actus tendit in ob-jectum & circumstantias, quæ nullam bonitatem, vel malitiam includunt, nullam quoque bonita-tem, vel malitiam ex illis participare poterit. Imò secundùm ipsos Adversarios ideo nequit da-ri actus indifferens in individuo, quia omnis actus, dum producitur, ex circumstantijs, pra-sertim fine redditur vel bonus, vel malus: ideó-que remanet solum difficultas de antec. & qui-dem quoad primum membrum, quòd dentur objecta indifferentia, in q. 1. §. 2. n. 12. jam sa-tis demonstratum fuit: probatur ergo antec. quoad secundum membrum, quòd pariter den-

tur

aut circumstantiae indifferentes: Ideò dantur objecta de se indifferentia, quia neque intrinsecam important bonitatem vel malitiam, neque subiacent alicui præcepto præcipienti aut prohibenti, sed merè permittuntur: sed dantur etiam tales circumstantiae, præsertim finis, qui neque intrinsecè est bonus vel malus, neque homo viator tenetur ullō præceptō aut consiliō illum suis operationibus præfigere: ergo dantur non solum objecta indifferentia, sed etiam circumstantiae indifferentes. Prob. min. Sicut levatio festucæ, fricatio manus ad aliqualiter depellendum frigus etiam cum advertentia & libertate plena factæ tendunt in objectum merè indifferens, quod operanti nec præcipitur, nec consulitur, nec interdicitur; sic etiam eadem actiones ex hoc eodem motivo elicitanæ, quia nempe placent operanti, suntque illi gratæ, ac commoda, tendunt in finem extrinsecum merè indifferentem, qui nec præcipitur, nec consulitur, nec prohibetur operanti: ergo dantur tales circumstantiae, præsertim finis, omnino indifferentes, quæ nullam bonitatem, vel malitiam possunt refundere in actum, sed tantum illi communicate aliquam indifferentiam.

40. u. l. Famosissimus è Soc. Jesu in Universitate Ingolstad. olim SS. Theologiæ Professor Tannerus Tom. 2. Theologiæ Scholasticæ Disp. 2. de Actibus hum. q. 5. Dub. 7. n. 117. Hominem, eo ipso, quod deliberat agat, semper,

per agere debere ut hominem, ac creaturam rationalem, adeoque propter finem, & quidem secundum rationem ex motivo virtutis & honestatis: sicque etiamsi exerceat opus aliquod indifferens ex sua specie, debet tamen illud referre ad bonum finem. Ex quo sequitur, omnem actum humanum seu deliberatum aut bonum esse, si ad bonum finem, quem sibi homo humano modō operans præfigere semper tenetur, referatur; aut malum, si ad bonum finem non referatur: consequenter tales operationes ex deliberatione procedentes semper debent habere aliquem finem honestum. Contra est: etiamsi enim homo deliberatè operetur ut creature rationalis, nullam tamen exinde habet obligacionem, omnésque & quoscunque actus suos in finem honestum referendi. Hinc sanctus Bonaventura cit. ait: Deum pro hoc statu fragili hominem non sic rigidè obligasse, ut omnia positivè & proximè ad se referat. Interim tamen tales actus non carent omni prorsùs fine & utilitate; cum fiant iuxta exigentiam naturæ, vel levem aliquam ejusdem commoditatem importantem aliquam bonitatem utilem & commodam, licet non importent bonitatem honestam sufficientem ad constituendum verum actum bonum in genere moris. Quod verò dicatur, hominem semper debere operari secundum regam rationem, & in quantum homo ac creatura rationalis est; catenùs solùm verificatur, quatenus

tenus homo nihil debet facere , quod rectæ rationi sit contrarium. Positivè autem operari secundūm rectam rationem non est necessè; tamenetsi , quotiescumque operatur ut homo , operetur ut rationalis , hoc est , exerceat opera intellectus & rationabilia , quæ soli naturæ rationali conveniunt. Quare , hominem semper debere operari positivè secundūm rectam rationem , seu producere operationes in finem honestum relatas , ita ut non operari taliter , sit peccatum , nequit ostendi neque ex Divina Providentia speciali circa omnes nostros actus liberos , de qua non præsumendum videtur , quod homini tam grave ac periculosum onus impone-re velit; neque ex stricta ratione , quam reddituti sumus in die Judicij ; neque ex S. Scriptura , aut ratione aliqua fundamentali , ut ex dicendis adhuc magis patebit.

41. Bz. 2. Alij , & quærunt : Tales operationes ex objecto indifferentes vel fiunt propter aliquam utilitatem , necessitatem , sublevacionem & indigentiam naturæ ; vel propter meram operantis commoditatem , ac delectabilitatem ? Si primum : ergo hoc ipso sunt operationes rationabiles , bonæ ac honestæ ; cùm rationabile , bonum , ac honestum sit , succurrere indigentia naturæ , atque promovere ejus utilitatem , ac necessitatem. Si secundum : ergo eo ipso sunt irrationabiles , malæ , ac inhonestæ ; quia sic homo non operatur ut homo propter bonum sibi

proportionatum, quod solum est bonum honestum, non autem bonum delectabile, & commodum; sed operatur modò brutis competente. Contra est: quia datur triplex bonum, scilicet bonum utile, bonum delectabile, & bonum honestum: ideoque bonitas objecti, quæ facit actum bonum & honestum, nec in utilitate, nec in delectabilitate consistit, sed in honestate: consequenter objectum non dicitur propriè bonum moraliter, quia est utile, vel delectabile, sed quia honestum: siquidem bonum utile & delectabile possunt esse indifferenter objectum bonæ & malæ actionis moralis; sicut etiam inutile, ac injucundum: si enim utile, vel delectabile est conjunctum cum honestate, ad quam ordinatur ab operante, constituit actum bonum; si cum turpitudine, facit actum malum: si ad nullam honestatem ordinatur, specificabit actum indifferentem in genere moris, uti fit in nostro proposito. Quando ergo homo producit aliquam operationem naturæ utilem, commodam, necessariam, immo delectabilem, non ordinandò illam ulterius ad aliquem finem honestum, talis utilitas, necessitas, vel delectabilitas nullam bonitatem refundet in actum, si non habeat adjunctam honestatem, sed constituet illum merè indifferentem: dummodò tunc non contingat defectus vel excessus contra præscriptum & dictamen rectæ rationis saltem permittentis; aut alia circumstantia prava concomitetur. Nec taliter

liter homo operatur modō brutis competente; quia operatur cum perfecta libertate ac delibera-  
tione secundūm dictamen rationis, ne siant  
tales operationes cum defectu, vel excessu, sed  
ordinate, ac sine notabili temporis dispendio,  
qualis modus operandi brutis neutiquam com-  
petit. Licet talis regulatio ac operandi modus  
nondum sufficiat ad operationes illas verè co-  
honestandas; sed tantūm facit, ne dicantur ma-  
læ, & dictamini prudentiæ contratiæ.

42. Confirmatur 1. Omnis species salvatur  
in aliquo suo individuo: sed datur sub genere  
moralitatis ut sic species indifferentiæ: ergo talis  
species salvari debet in aliquo individuo. Subs.  
Sed non posset talis species indifferentiæ salvari,  
nisi daretur actus indifferentiæ in individuo: er-  
go necessariò debet admitti actus in individuo  
indifferentiæ. Major constat ex Logica in materia  
de Universalibus, ubi communiter tenent Phi-  
losophi contra Platonem, quod non dentur na-  
turæ communes tam genericæ, quam specificæ,  
seu Ideæ Platonicæ extra sua singularia, & indi-  
vidua, quod tamen fieret, si species posset con-  
servari, & salvari sine omni individuo. Minor  
sufficienter probata manet in q. 1. præcedente,  
quod nempe detur actus secundūm speciem in-  
differens. Minor quoque subsumpta nequit ne-  
gari; eo ipso enim, quod non admittatur actus  
in individuo indifferentiæ, nihil potest assignari,  
in quo species indifferentiæ, seu actus secun-

dùm speciem indifferens salvetur, & conservetur, consequenter talī modō daretur species saltēm moralis extra sua singularia & individua; quod nullus sine aliquo evidenti absurdō admittere potest.

43. R<sup>e</sup>. 1. Prælaudatus Tannerus ex mente Divi Thomæ (uti ait) h̄ic q. 18. art. 9. ad 1. individualium proportionatum actui ex sua specie indifferenti esse ipsum actum in individuo bonum vel malum, ex objecto tamen indifferente: nam hic ipse etiam ex sua specie indifferens est, eāque ratio velut communis contrahitur per rationem individualem actūs, quæ non tollit communem rationem indifferentiæ ex objecto, sed superaddit aliam rationem particularem ex fine, vel circumstantijs. Neque enim actus dicitur secundūm suam speciem indifferens, quasi ei ex sua specie essentiali debeatur, ut sit indifferens: sed quia secundūm suam rationem specificam ex objecto desumptam non vendicat sibi bonitatem vel malitiam, quam tamen aliunde ex ratione individua actūs suscipe-re potest. Hucusque Tannerus. Sed contra est 1. quia implicat, quòd ratio individualis bonitatis vel malitiæ actui ex fine vel circumstantijs adveniens & superaddita non tollat rationem communem indifferentiæ ex objecto; si enim actus jam semel ex circumstantia finis boni aut mali factus est bonus vel malus, nequit amplius remanere indifferens in tali genere: siquidem

non

non minùs indifferentia in suo genere bonitatem & malitiam excludit, quām bonitas malitiam: sed bonitas ita malitiam excludit, ut quamdiu actus est ex aliquo capite malus, absolutè nequeat esse bonus; nam *bonum ex integra causa*: ergo servata proportione idem dicendum est de indifferentia, quòd nempe bonitatē & malitiam ita excludat, ut quamdiu actus est ex aliquo capite bonus vel malus, absolutè nequeat esse *indifferens*. Contra est 2. & negatur suppositum, quòd indifferentia, quam actus desumit ex objecto, sit ratio communis respectu bonitatis, quæ illi advenit, ac superadditur ex fine *extrinseco* & circumstantijs, quasi aliqua ratio particularis, individualis, ac contractiva actūs. Si quidem ratio indifferentiæ, & ratio bonitatis, si sumuntur ex objecto, semper sunt duæ differentiæ specificæ, dividentes genus, nempe moralitatem ut sic actūs humani. Si sumuntur ex fine *extrinseco* & circumstantijs, sunt duæ differentiæ individuales, quarum qualibet determinat, ac contrahit suam propriam speciem ad certum aliquid individuum, nempe bonitas individualis ex circumstantijs bonitatem specificam ex objecto, indifferentia individualis ex circumstantijs indifferentiam specificam ex objecto: non autem bonitas individualis potest determinare & contrahere indifferentiam specificam, vel econtrà: sicut Petreitas v. g. nequit contrahere & determinare naturam Leoninam specifi-

cam ad individuum Petri, aut econtra. Contra est 3. & negatur iterum suppositum Tanneri, quod maneat idem actus, qui ex objecto indifferens propter finem extrinsecum & alias circumstantias sit bonus: licet enim in esse physico maneat idem, non tamen in esse morali; nam ubi habetur aliud novum esse entia constitutivum, ibi resultat aliud novum constitutum: cum ergo adveniente bonitate ex fine & alijs circumstantijs habeatur in actu aliud novum, & quidem specie à priori distinctum esse entia constitutivum, nequit amplius manere primum; alias in eodem actu invenientur simul duo essentialia constituta specie distincta, quod non tantum in omni bona Philosophia, sed etiam Theologia implicat: consequenter aderit in tali casu novum constitutum, & novus actus totaliter bonus, & ex nullo capite amplius indifferens. Contra est 4. & negatur denuò hujus Authoris suppositum, quod omnis actus semper debeat habere finem bonum vel malum; sicut enim juxta num. 12. & 39. dantur objecta præcisè indifferentia, sic etiam dantur finis extrinsecus & aliæ circumstantiæ merè indifferentes.

44. R<sup>c</sup>. 2. Alius doctissimus Recentior in suis Q.Q. in Scholis Thomistica & Scotistica, ac inter RR. magis controversis q. 2. Sect. 2. n. 28. de indifferentia actuum moralium in individuo, quod, sicut homo secundum speciem suam præcisivè sumptam non est certo colore imbutus, & tamen

tamen omne individuum humanum est determinato colore affectum, albō scilicet, aut fuliginosō; ita etiam actus humanus, licet secundum suam speciem praeclarum sumptum seu ex objecto neque bonitate neque malitiā sit affectus; quando autem consideratur ut aliquod individuum, jam habebit determinatam moralitatem bonitatis vel malitiae: & sicut ratio albi aut fuliginosi superveniens non tollit rationem specificam hominis; sic etiam ratio bonitatis vel malitiae superveniens non auferet ab actu rationem specificam indifferentiae. Contra est: quis enim non videt palpabilem disparitatem? Ratio enim albi aut fuliginosi est tantum ratio contractiva ac determinativa accidentalis; & ideo mirum non est, quod non tollat rationem specificam naturae humanae. Econtra ratio boni vel mali est ratio contractiva ac determinativa essentialis, quae superveniens de novo actu essentialiter atque totaliter ipsum variat, & ad aliud esse morale transfert.

45. B. 3. Paulus Mezger Universitatis Salisburgensis quondam Professor celeberrimus Tom. 2. sue Theologiae Scholasticæ Tract. 4. Disp. 9. de moralitate actuum humanorum art. 3. §. 2. Et dicit, quod indifferentia debeat quidem salvare in individuo secundum prædicatum conveniens pro statu reali, nempe tendentiae positivæ in objectum delectabile lege permisum: Non autem secundum prædicatum negativæ indiffe-

rentiae ad bonum & malum, quod convenit secundum statum metaphysicæ præcisionis. Sicut enim est impossibile, dari hominem à parte rei, qui non sit contractus ad individuum hominis: ita est impossibile, dari actum humanum, qui non fiat ex determinato fine & motivo homini quæ tali vel proprio, vel non proprio: si ex fine proprio, jam actus inducit bonitatem; si ex non proprio, inducit malitiam moralem. Unde juxta hunc Doctorem indifferentia non est physica species moralitatis, quæ à parte rei reperiatur in pluribus individuis, uti species hominis; sed tantum metaphysica, & secundum metaphysicam abstractionem, in quantum intellectus præscindens ab omnibus principijs moralitatis specificam moralitatem constituentibus, considerat actum quatenus præcisè terminatum ad aliquod objectum lege permisum; cum tamen à parte rei fieri non possit, ut istud objectum per conventionem debiti vel indebiti finis non trahatur ad determinatam speciem bonitatis aut malitiae objectivæ. Contra est: Licet enim indifferentia non sit aliqua species physica, seu in esse physico; negatur tamen, quod propter hoc nequeat esse vera ac realis species moralis, seu in genere moris, constituta sub moralitate ut sic actus humani, quæ à parte rei reperiatur in pluribus individuis, nempe in hoc & illo actu indifferenti: sicut bonitas moralis est vera species constituta sub moralitate ut sic, quæ à parte rei inve-

invenitur in pluribus individuis, v. g. in hoc vel illo actu justitiae, in hoc vel illo actu fortitudinis, in hoc vel illo actu patientiae, &c. Et quamvis intellectus præscindat rationem istam specificam indifferentiae à ratione individuali; hæc tamen præcisio & abstractio tendit in aliquod prædicatum, nempe in illam rationem specificam objectivam indifferentiae; quæ à parte rei est in actu, & non tantum per operationem intellectus: quemadmodum, quando in Petro v. g. considero rationem specificam naturæ humanæ, non considerata ejus singularitate, seu Petreitate tanquam ratione individuali, tendo in aliquod prædicatum & rationem objectivam, quæ à parte rei est, & invenitur in Petro, & non, quia sic meus intellectus fingit (ut plurib[us] docetur in Logica; & in nostra Schola tanquam indubitatum admittitur) hinc tale prædicatum specificum indifferentiae manet in actu, etiam si singularizetur per rationem aliquam individualem indifferentiae ex fine & circumstantijs indifferentibus desumptæ: sicut manet prædicatum specificum naturæ humanæ in Petro, quamvis singularizetur, & contrahatur per rationem individualem ad hoc individuum Petri. Ex quo patet, responsio ad illam paritatem, quam facit hic Author, dicens: Sicut est impossibile, dari hominem à parte rei, qui non sit contractus ad individuum hominis; ita est impossibile, dari actum humanum, qui non fiat ex determinato fine &

motivo homini quæ tali vel proprio , vel non proprio. Omnia ista libenter concedimus : dum autem pergit : *Si ex fine proprio , jam actus induit bonitatem* : hoc omnino negamus ; quia juxta dicta datur etiam finis proprius homini merè indifferentis , qui nempe conductit ad aliqualem necessitatem , utilitatem , delectabilitatem , aut sublevationem naturæ rationalis : & hic non refundit bonitatem in actum , sed solummodo indifferentiam. Quare negatur suppositum , quod objectum lege permisum , seu indifferentis à parte rei nequeat contrahi , ac determinari per aliquem finem , nisi ad determinatam speciem honestatis aut malitiæ ; cùm possit determinari per talern finem , qui de se neque est bonus , neque malus , ad merum esse indifferentiale.

46. Confirmatur 2. Ubi non datur lex obligatoria , ibi non datur prævaricatio ac transgressio legis : sed non datur lex obligatoria , ut homo in omni sua operatione etiam ex deliberatione præcedente facta præfigat sibi finem honestum & bonum : ergo in homine non præfigente finem honestum & bonum non datur prævaricatio ac transgressio legis : consequenter possunt dari operationes humanæ , quæ in individuo neque sunt bona , neque mala , sed merè indifferentes. Prob. min. Illa lex & obligatio non existit , quam tot sapientes ignorant ; quæ superreditur limites fragilitatis humanæ ; quæ pluribus & varijs scrupulis atque anxietatibus conscientia-

scientias subijceret: sed talis esset lex obligatoria, ut homo in omni sua operatione præfigat sibi finem honestum & bonum: ergo non datur. Major constat; quia lex, ut obliget in conscientia, debet innotescere per publicationem & promulgationem, alioquin ignorantia merito ab observatione excusat; debet esse rationabilis, possibilis, atque viribus illorum, qui obligantur ad illam, proportionata; quod non fieret, si transcederet humanæ fragilitatis limites: debet esse utilis, subditis proficua, in ædificationem, & non in destructionem conscientiarum, quæ propter anxietates à tali lege causatas esset timenda. Prob. ergo min. quoad 1. membrum: tota Schola Subtilis, & plures RR. ejusmodi legē non agnoscunt; imò communis hominum persuasio est, non extare talem legem, sicut ingenuè fatetur P. Arriaga in I. 2. Dist. 2. I. Sect. 4. dicens: *Antequam hæc controversia in Scholis perstrepere incepit, nihil de tali obligatione unquam cogitavi, nec putavi, me aliquid mereri, vel demereri spuendō, barbam fricandō, faciem lavandō, de nullo alio honesto fine cogitantem.* Temerarium autem esset, tot ac tantos viros pietate, sanctitate & doctrinâ conspicuos; uti fuit Divus Bonaventura, Scotus & plurimi alij, ignorantia ita magna, imò culpabilis arguere: ergo. Prob. min. quoad 2. membrum: vel ista lex referendi omnes actiones in finem honestum ac bonum est universalis obligans indiscriminatim omnes homines, vel tan-

tum

tum se extendit ad personas ex tumultuosis mundi curis extractas? Non secundum: alias admitterentur actus indifferentes saltem in aliquibus hominibus; cum tamen Adversarij eos absolute reijciant. Non primum: vix enim posibile, vel saltem durissimum videtur, quod homines terrenis ac sacerdotalibus semper occupati negotijs inter quotidianas sollicitudines, perturbationes, aliasque miseras teneantur, cui libet minimae actioni etiam advertenter elicite finem bonum praefigere. Unde Seraphicus Doctor citatus humanam fragilitatem aqua lance ponderans pie & bene scribit, Deum non requirere ab homine in hoc statu distractionis & miseriae, ut omnia, quae facit, ad se referat. Et Scotus addit, quod homo non teneatur nec tentatione necessitatis, contra quam sit peccatum mortale, nec tentatione minori, contra quam sit peccatum veniale, ordinare semper actum suum in Deum actualiter vel virtualiter; quia Deus non obligavit nos ad hoc: sed tantum tenetur abstinere ab actibus in Deum irreferibilibus, quales sunt solummodo actus mali, non autem indifferentes, qui, licet non sint ex natura sua referibiles in Deum, ut actus boni, sunt tamen referibiles remotè ex intentione operantis; quia in se nullam includunt conditionem ultimo fini repugnantem: ergo. Minor quoad 3. membrum quoque est certa; quales enim anxietates, quales perturbationes ista lex causaret in conscientia.

scientijs timoratis , & alijs scrupulis agitatis ? quæ in quavis re & occasione timent culpam , ubi culpa non est : ideoque similes actiones etiam innocentis solatij , utilitatis aut commodi causâ suscep tas evitare , vel cum tali difficultate semper ad finem bonum ordinare , foret utique arcum conscientiæ nimis intendere , imò & intimata tali obligatione totum disrumpere , & ob illius adimplendæ difficultatem contrariæ laxitati aditus ac fræna omnia laxare : ergo .

47. B. I. Doctissimus ille Recentior in suis Q. Q. Controversis q. 2. Seçt. 3. n. 32. ignorantiam hujus legis in tot sapientibus adhuc includere scientiam virtualem & implicitam : quia sufficientissimè promulgata fuit lex non loquendi , aut agendi otiosè , item non operandi propter finem cum brutis communem , &c. Deinde quærit ex nobis , an licitum fuetit comedere usque ad satietatem ex fine solius delectationis , antequam Summus Pontifex hanc propositionem damnasset ? Ecclesia siquidem non exinde novam legem sancivit ; sed , quænam semper extiterit , ex infallibili Cathedra declaravit : vel an comedio illa jam priùs illicita fuerit ? ubi , sicut nos reponemus , quod talis comedio jam antea fuerit inhonesta saltem materialiter , ac postea evaserit inhonesta etiam formaliter respectu habentium debitam cognitionem ejusdem legis ita promulgatæ : ita proportionalis responsio in ipsius hypothesi defendet , quod honestas vel inho-

inhonestas reperiatur per se, & abstrahendo saltem ab errore vel ignorantia, in quocunque actu, qui hucusque prætensus est, non præferre bonitatem, & tamen gaudere exemptione à malitia. Quoad alterum respondet, quod rei clementium indifferentiam actuum forum non adeò rigidum sit, sicut nos judicamus; cum actiones absque deliberatione exercitas nequaquam culpæ accusent per se loquendō; sed unicè talem animissim requirant pro actibus, qui propriè morales sunt, & quibus juxta omnes faciem honestatis præfert ratio ex deliberatione procedens. Neque hoc viribus humanis importabile onus reputandum est, si nempe obligetur homo ad hunc vel æquivalentem finem: *Quia rectæ rationi congruit, quia hominem decet*: præsertim cum hæc aut similis intentio admittat quoque in consortium aliud motivum inferius, tanquam finem subordinatum; neque etiam oporteat actualem hujusmodi intentionem singulis operibus præfigere; sed satis sit, modò illa intelligantur saltem virtualiter dependere à fine honesto. Contra est: negatur enim, quod actus indifferens sit contra hoc præceptum, *non loquaris, aut agas otiosè: non opereris propter finem brutis communem, &c.* utpote neutram otiosus, cum non caret omni profus fine & utilitate; siquidem sit juxta exigentiam naturæ exiguam aliquam bonitatem utilem, aut commodam importantem. Sic etiam non producitur modò brutis communī; quia sit

cum

cum perfecta libertate ac deliberatione , & quidem secundum dictamen rationis regulantis talis actum, ne fiat cum excessu , aut aliâ circumstantia malâ eundem inficiente. Ad illud, quod adducit de comestione usque ad satietatem ex fine solius delectationis , negatur paritas inter talis actum comestionis & actum indifferentem : nam ideo illa comestio semper producitur ut mala ac inhonestia in genere moris , quia semper est actio à fine per naturam sibi praescripto devians, qui finis non est sola delectabilitas , sed potius conservatio naturae , veram honestatem ac beatitudinem moralem importans : & ideo talis actus per se loquendô semper est vel honestus , si tendat in illum finem , vel dishonestus , si deordinetur ab illo ; licet aliquoties ut non ita ordinatus ad debitum finem possit per accidens esse non formaliter dishonestus ob ignorantiam. Contra actus indifferentes , v. g. fricatio manus ad repellendum aliqualiter frigus non habet alium finem pro hinc & nunc , quam aliquam commoditatem ac utilitatem naturae , & sic , quando sit propter illam , non deviat à fine sibi proprio à natura praescripto , sed potius producitur secundum hunc finem. Quapropter fallum est , quod in tali actu honestas , vel dishonestas reperiatur per se , quæ tantum per accidens ignoratur adesse à tot & tantis viris doctrinâ ac sanctitate conspicuis , sicut per se semper adest in comestione usque ad satietatem ex fine solius delectationis fa-

cta. Quando autem responderet ad secundum membrum minoris, quod reiçentes actum humanum indifferentem neutiquam imponant tam grave onus, sicut nos existimamus, partim quia pro hoc statu distractionis & miseriæ multæ operationes fiunt indeliberatè, consequenter non imputantur operanti: partim quia operans non semper obligatur, hujusmodi operationibus formalem & actualem præfigere intentionem, sed sufficit, quod adsit virtualis & æquivalens, v. g. *quia recte rationi congruit, quia hominem decet, &c.* Contra est: quia hinc non loquimur de operationibus indeliberatis, quæ etiam secundum nos verè morales non sunt, cum deficiat illis aliquid necessariò requisitum, nempe advertentia rationis, quam tamen juxta dicta in Q. i. n. i. verus actus humanus exigit: sed loquimur de actionibus cum advertentia liberè productis. Si vero Seraphicus Doctor vitam hanc vocat statum distractionis, distractio non sumitur pro inadvertentia, sed pro inquieta hominis viatoris applicatione ad varia negotia, ad quæ distrahitur. Denique ista motiva & fines, *quia recte rationi congruit, quia hominem decet, &c.* neque honestatem, neque inhonestatem important, sed sunt tantum motiva & fines indifferentes, nisi superaddatur aliis verè honestus; quia etiam actus indifferentes fiunt, *quia recte rationi saltem permittenti congruunt: quia hominem decens, &c.*

48. ¶ 2. Eximus P. Paulus Mezger cit. art. 3.  
 §. 2. n. 4. quod detur lex naturalis aliorum præceptorum naturalium quasi fundamentum, ne homo in suo proprio modo operandi deficiat ab ordine & fine sibi ab Authore naturæ præscripto, ut in ipsa natura radicato: unde actus à fine honestatis deficiens saltem mediately contrariatur præcepto negativo charitatis, qua homo tenetur, ne ullam suam operationem subtrahat à relatione ad Deum ut ultimum finem. Contra est: Libenter conceditur, quod lex obligans hominem viatorem, ne in suo proprio modo operandi deficiat ab ordine & fine sibi ab Authore naturæ præscripto: sed negatur, quod actus indifferens deficiat ab isto ordine & fine, & homo producens talem actum operetur contra præceptum negativum charitatis, in quantum suam operationem subtraheret à relatione ad Deum ut ultimum finem: licet enim non referat ad Deum positivè, refert tamen saltem negativè; dum producendo talem operationem nihil facit contrarium huic fini & rectæ rationi. Nec dicas, non solùm teneri hominem nihil facere, quod rectæ rationi sit contrarium, sed etiam obligari ad operandum positivè conformiter rectæ rationi, quotiescumque operatur ut rationalis; quia hoc postulat dignitas & conditio humanæ naturæ, quam utpote ad majora natam non decet ad inutilia & frivola affici, nisi ea ad finem aliquem honestum, hominisque affectu dignum

referantur. Unde sicut Princeps non nisi Princeps digna cogitabit; multò minus loquetur, aut operabitur aliquid suam dignitatem dedecens: quantò magis hoc debet homo, qui est Princeps orbis hujus inferioris, & ad orbem superiorum conditus. Siquidem homo non adeò rigidè obligatur, ut quoties operatur ut homo, positivè suam actionem conformet rectæ rationi. Licet ergo actus indifferentes non sint ita excellentes, laudabiles, & naturæ humanæ competentes, sicut actus moraliter boni; adhuc tamen non decent illam præsertim in hoc statu fragili: & sic dantur actus & operationes homini ut agenti rationali magis vel minus competentes atque decentes: sicut Princeps non semper tenetur perfectissimô & excellentissimô modô operari.

49. Confirmatur 3. Si actus ex objecto indifferentes ab homine eliciti, & in bonum finem non relati hoc ipso essent mali, & peccata saltem venialia, tunc forent materia sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ: sed hoc dici nequit: ergo tales actus non sunt mali, sed merè indifferentes. Major constat; quia omne peccatum actuale post Baptismum commissum est materia sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ, ut omnes Theologi admittunt. Prob. min. Nullus pœnitentium etiam aliâs scrupulizans se in confessione accusat de simili relatione, seu referentia omissa, quod nempe sputa ejecerit, rosam odoratus, cani vel feli blanditus fuerit, cunis recreationis causa luserit, &c. & non in finem bonum, & super-

naturalem illas actiones ordinaverit; nec Confessarij etiam circumspectissimi & zelantissimi suos Poenitentes de tali intentione & referentia ad finem honestum examinant in Confessione; nec Sacramentalem absolutionem impenderent illi, qui nihil aliud, quam tales operationes considereret: ergo nequit dici, quod actus ex objecto indifferentes ab homine eliciti, & in bonum finem non relati hoc ipso sint mali, & peccata saltem venialia.

50. q. 1. Sæpè dictus eximus P. Paulus Mezger loc. cit. n. 4. Idem apud fideles non esse usitatum, ut se accusent de ejusmodi operationibus, quia ut plurimum sunt indeliberatæ, & præcisè ex impulsu naturæ provenientes. Facillimè etiam isti actus saltem virtualiter ab homine in gratia & charitate constituto referuntur in Deum. Contra est: nam ista responsio non facit ad propositū; cùm hic non loquamur de operationibus indeliberatè, sed deliberatè ac liberè ab homine producatis. Deinde quamvis homo in gratia & charitate constitutus possit faciliter onenes suas actiones in Deum referre: ad hoc tamen nullò præceptō obligatur, ut jam sufficiat ret demodi stratum est. Sicut etiam hoc ipsum, quod aliquis agit ordinatè ad sustentationem aliqualem, vel quietem sui corporis, ad bonum virtutis eo ipso non ordinatur, nisi operans alium sibi præfigat finem. Dices: quando constat, hujusmodi actus factos esse deliberatè, cùm sint opera otio-

sa, esse tam legitimam materiam Confessionis, sicut ipsa verba otiosa. Sed negatur, quod actus in finem honestum non relati sint talia opera otiosa; nam ad excludendam otiositatem sufficit, quod opus non omni prorsus careat utilitate: unde si fiat tantum ob aliquam levem naturæ commoditatem, sufficienter per hoc otiositas excluditur. Quod tamen nondum satis est ad includendam honestatem.

§ I. Q. 2. Præmemoratus Recentior eodem fermè modō, & dicit, quod tales actus cadant sub objectum sufficiens absolutionis per se loquendō; non autem stante simul incertitudine, an fuerint actus verè deliberati, ac carentes fine honesto. Unde sacer Judex secundūm muneris sui normam aget, si præter ejusmodi actus, qui an teipsa otiosi fuerint, ritè dignosci non potest, exigat insuper, ut aliud peccatum ex præterita saltem exomologesi subjiciatur clavibus. Cæterūm quid magis solemne habent teneriores conscientiæ, quam verbi aut operis otiosi remorsum? Contra est: posito casu, quod Petrus confiteatur, se deliberatè ac cum plena advertentia deambulasse aliquantulum, ut depelleret frigus, se fricassse manus eadem de causa, &c. non ordinandō ad alium finem honestum & bonum, secluso omni contemptu, vel circumstantiâ malâ interveniente: quero ex isto doctissimo ac in confessionali versatissimo viro, utrum audeat, Petrum sine omni alio peccato proposito absolvere, vel

vel non? Si secundum: ergo istae operationes non sunt peccaminosæ, sed merè indifferentes; alias si malitiam includerent, essent materia sufficiens ad absolutionem Pœnitenti tribuendam. Si primum: reclamat praxis quotidiana totius Ecclesiæ, atque tot prudentissimorum Confessariorum ex omni Schola, quorum nullus audet, ob solos similes actus absolutionem impetrare, atque Sacramentum Pœnitentia periculo nullitatis exponere. Quod utique non facerent, si judicarent, tali modo adesse materiam sufficiensem ad absolvendum Pœnitentem. Nec dicant aliqui, hos actus constituere materiam dubiam, & ideo non sufficere ad absolutionem. Siquidem hi Authores non distingunt materiam dubiam à materia probabili, seu quæ est in opinione: nam materia dubia est illa, quam nullo probabili opinionis assensu credimus esse peccatum, sed animus hæret, & manet anceps in utramque partem, non judicans esse peccatum, nec non esse. At verò materia, quæ aliqua opinione creditur esse peccatum, non est dubia materia, sed secundum opinionem probabilem determinata, quando assensu determinato creditur esse peccatum. Materiæ autem, quæ secundum opinionem verè probabilem judicatur esse peccatum, tutò potest impendi absolutione. Restat igitur, quòd hæc opera in individuo maneant indifferentia; siquidem nec mala, nec bona esse possunt, ut probatum est.

52. Confirmatur 4. Ille, qui nostram amplectens sententiam produceret actum ex objecto indifferentem sine appositione ulterioris finis honesti, vel bene, vel male, vel indifferenter, id est, neque bene, neque male operaretur? Neutrum potest dici: ergo. Minorem si Adversarij quoad 3. membra admittunt, dant nobis manus. Probatur ergo ista min. imprimis quod scilicet talis non bene operetur, seu non producat actum bonum & honestum: Nequit aliquis actus esse bonus ac honestus, nisi habeat objectum bonum, vel saltem finem bonum ac honestum: sed talis operans nostram amplectens sententiam produceret actum, qui neque objectum bonum, neque finem honestum haberet: ergo talis actus non esset bonus, ac honestus; consequenter talis non bene operaretur. Major constat; quia juxta communem Theologorum bonitas actus, quomodo cunque deum, desumitur ex objecto & fine: ideoque, si actus neque objectum, neque finem habet bonum, ipse quoque nullam participabit ex illis bonitatem. Minor est extra controversiam: quia supponitur, quod talis actus versetur circa objectum indifferens, & ipse operans non præfigat sibi aliquem finem honestum ac moraliter bonum. Prob. eadem min. quod talis homo neque male operetur: Ille non male operatur, qui operatur secundum sententiam verè probabilem: sed qui nostram amplectitur sententiam afferentem, quod

quod homo non teneatur omnes suas operatio-  
nes in finem bonum & supernaturalem dirigere,  
operator secundum sententiam verè probabi-  
lem: ergo non malè operatur. Major iterum est  
communis inter Theologos; qui enim sequitur  
sententiam verè probabilem operator ex pruden-  
ti motivo, ac solido fundamento, consequen-  
ter licet, honeste atque bene, & neutiquam ma-  
lè. Minorem negare, esset temeratum, & ma-  
gnæ imprudentiæ, arguere tot SS. PP. tot alios.  
tum doctrinâ tum pietate clarissimos viros atque  
Doctores, qui istam nostram sententiam secuti-  
tam calamô quam linguâ acerrimè semper de-  
fendebant. Manet ergo, quod talis operans no-  
stræ sententiæ de indifferentia actus in indivi-  
duo sese accommodans, cum neque bene, neque  
malè agat, ponat, & producat actum verè indif-  
ferentem in genere moris.

*¶. 82. 1. Clarissimus P. Paulus Mezger loc.  
cit. n. 6. In tali casu operationem fore simplici-  
ter honestam & licitam: quamvis enim operans  
judiciò remotò & speculativò, sive in actu signa-  
to, existimaret, se elicere actum indifferentem:  
quia tamen in judicio practico & proximo judi-  
cat, se licet & prudenter operari, ita ut licititas  
objecti, ejusque conformitas cum regulis pru-  
dentiarum sit ipsi proximum motivum operandi;  
propterea in actu exercito amplectetur motivum  
verè honestum conveniens rectæ rationi,  
adeoque eliceret actionem bonam & honestam.*

Contra est: Ultrò enim concedimus, accommodantem se huic sententiæ probabili, quod detur actus indifferens, judicare judiciō practicō & proximō, quod licet & prudenter hic & nunc operetur, ita ut licititas objecti, ejusque conformitas cum regulis prudentiæ sit ipsi proximum motivum operandi. Ex hoc tamen nondum sequitur, quod hōc modō talis operans producat actum honestum: aliud quippe est, licet & operati, aliud honestè, & moraliter bene; quæ hic Author confundere videtur: licitum enim plus dicit, quam honestum: nam hoc censetur solum honestum, quod est conforme dictamini rationis præcipientis, prohibentis, vel consulentis: omne illud autem vocatur licitum, quod est conforme dictamini rationis non tantum præcipientis, prohibentis, vel consulentis, sed etiam permissentis. Unde non ex hoc ipso, quod ratio judicet, aliquid fieri posse, & esse licitum, inferri potest, vel debet, quod etiam id ipsum sit honestum.

54. q. 2. Multoties jam cit. Recentior n. 35. interrogandō nos Scotistas atque alios nostræ sententiæ de actu indifferente in individuo Aſſeclas, an talis, de quo loquitur confirmatio 4. agat ob hanc ipsam licentiam ita operandi ex opinione verè probabili? Et tunc negat suppositum, quod operetur præcipue, vel ex solo bono deletabili, cum virtualiter saltem tale bonum posthabeat fini honesto. Vel an simile dictamen

Etamen conscientia probabilis non influat ex parte objecti formalis in ipsum actum? Et tunc iste relinquetur formaliter tantum indifferentis ob speculativum errorem, qualis intervenit in Scotistarum hypothesi: seu non erit actus malus in ordine ad reatum pœnæ invehendum, sed tam materialiter erit malus ac dishonestus, non minus, ac alij subinde actus versantes circa objecta directè prohibita, sed hic & nunc apprehensa tanquam licita & honesta. Contra est: Nam respondemus ad Illius interrogationem, quod talis homo agat opinioni verè probabili innixus: negamus autem, quod tali modo non amplius operetur ob solum bonum delectabile vel utile; licet enim virtualiter saltem hoc bonum posthabeat bono & fini honesto, in quantum, si ipsi proponeretur aliquis finis honestus, estimaret illum esse excellentiorem ac nobiliorum fine delectabili aut utili: ex hoc tamen nondum sequitur, quod tunc intendat, vel intendere debeat tales finem honestum; cum ad hoc nullum præceptum obligetur, ut etiam saepius datum est, sed potest intendere præcisè finem delectabilem aut utilem indifferentem. Deinde datum, & non concessum, quod iste operans saltem virtualiter intendat finem honestum; hoc tamen neutquam sufficit: quia ut finis possit refundere aliquam bonitatem in actum, semper requiritur, ut talis finis expressè, formaliter, & directè, & non tantummodo virtualiter, implicitè & indire-

Ceterè intendatur; sic v. g. ut actus quod alicui pauperi Sacerdoti clargior eleemosynam, præter propriam bonitatem acquirat simul bonitatem religionis, debeo istum finem (quod nempe velim dare ut Sacerdoti) expressè, formaliter & directè intendere. Multò minus nos urget, quando dicit, quod operans juxta nostram sententiam probabilem de indifferentia actus in individuo ponat actum materialiter malum, quamvis excutetur à reatu pœnæ & malitia formalis: quia sic evidenter concedit, quod talis actus non sit formaliter malus, consequenter quod sit formaliter indifferentis.

S. f. Nondum acquiescit hic doctissimus Recentior, sed rursus querit ex nobis, quid designetur per commoditatem ambulandi v. g. Si enim vox illa denotet necessitatem ad minimum conuentiæ; jam aderit finis honestus, atque commotio illa induet naturam actus studiosi. Si vero commoditas illa sit terminus convertibilis cum delectatione, ita ut talis quasi dicat: *Hoc ago; si pro ratione voluptas:* jam pervertetur ordo rationis. Et sicut pictor agens contra ideam destinatae imaginis, vitiosè pingit: ita & talis homo contra regulam honestatis sibi propositam operans aget male. Vel sicut inordinatus ambulans delinqueret etiam juxta nos: ita delinquet pariter assumendò operationem propter delectationem; cum eadem regula honestatis non tam determinet mensuram, quam debitum

tum finem in operando. Contra est, & denuo respondemus ad quæsumus, quod commoditas ambulandi denotet aliqualem utilitatem, immo delectabilitatem naturæ, propter quam homo instituit ambulationem. Et quamvis commotio ista sit aliquo modò congrua naturæ, talis congruentia tamen non importat rationem finis honesti, sed tantum utilis aut delectabilis, qui à recta ratione nec præcipitur, nec prohibetur, nec consultatur, sed præcisè permittitur. Neque delectabilitas pervertit ordinem rationis, dummodo non fiat aliquis excessus, aut alia circumstancia mala concomitetur. Unde negatur data paritas: Pictor enim vitiosè pingit, dum in pingendo non imitatur ideam sibi propositam tanquam suam regulam: producens autem actum ex fine utili, vel delectabili non agit contra, sed potius juxta regulam rectæ rationis permittentis atque præscribentis, ne fiat aliquis excessus, qualis fieret per inordinatam ambulationem; aut alia immisceatur circumstantia prava: & sic in eali actu servatur mensura & debitus finis in operando, sicut recta ratio præscribit.

### §. III.

#### *Solvuntur Objectiones.*

16. **O**bijc. 1. Author. S. Scripturæ, quæ 1. ad Corinth. 10. dicit: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid faciatis, omnia in gloriam Dei facite: ergo omnes actus*

actus humani, seu cum advertentia rationis ac liberè producti aut sunt relati ad finem honestum juxta hoc præceptum; & sic erunt moraliter boni: aut non sunt relati contra illud præceptum, & sic erunt mali, & nequaquam indiferentes. *R. 1.* ex Seraphico Doctore Bonaventura & Scoto neg. conseq. Nam illa verba Apostoli non habent rationem mandati, seu formalis præcepti positivi, sed tantum merum important consilium. *R. 2.* istum textum S. Scripturæ velle tantum insinuare, ut nihil faciamus, quod esset positivè contra gloriam Dei. Cum quo tamen stat, quod possint poni actus indiferentes Dei gloriam non laudentes.

*57. Inst.* Idem Doctor Gentium *2. ad Corinth. 5.* scribit: *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Ex quibus verbis sic argumentantur: Apostolus dicit, nos statuendos esse in die judicij ante tribunal Christi, ut unusquisque reddat rationem de omnibus, quæ gessit in hac vita, sive fuerit bonum, sive malum: ergo omnes actiones humanæ sunt bonæ vel malæ, præmiandæ vel puniendæ, consequenter nulla datur actio indifferens. *R. neg. conseq.* Nam Apostolus non dicit absolutè, nos reddituros rationem ante tribunal Christi de omnibus omnino actibus, sed de bonis & malis duntaxat. Cum quo adhuc stat, nos posse elicere actiones indifferen-

ferentes, in judicio ad examen Divini Judicis non deducendas. Posset etiam concedi, quod ipsi quoque actus indifferentes in judicio Divino sint examinandi, ut videatur, utrum fuerint facti juxta regulam rationis illos permittentis, nempe sine aliquo excessu, & temporis dispensio, vel aliâ malâ circumstantiâ: vel utrum fuerint relati ad finem bonum: si ergo deprehenduntur, quod fuerint facta contra regulam rationis permittentis; vel quod fuerint relati positivè in finem bonum; tunc etiam hi judicabuntur in ordine ad præmium, vel pœnâ; & sic erunt de numero bonorum vel malorum operum, non autem indifferentium.

§ 8. Ob. 2. Author. SS. PP. ex quibus incomparabile Ecclesiæ Lumen S. Augustinus Lib. 10. Confess. cap. 31. Deum ita alloquitur: *Hoc me docuisti, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam.* Sed dum ad quietem satietatis ex indigentia molestia transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiae; ipse enim transitus voluptatis est, & non est alius, quod transeat, quam quod transire cogit necessitas. Et cum salus sit causa edendi & bibendi, adjungit se tanquam pedissequa periculosa incurritas, & plerumque præire conatur, ut ejus causâ fiat, quod salutis causâ me facere dico & volo. Ex quibus verbis sapientius laudatus Recenter talem format discursum: si non repugnat et actus moralis differens in individuo, tunc alius

alius foret transitus ab indigentia cibi & potūs ; quām necessitas & salus, quin voluptati non tantum liceret subsequi , sed etiam præire : item haud eveniret necessaria aversio à tali voluptate, utpote indifferentie ad malum , & omnino licetā : atqui juxta S. Augustinum res oppositō modō se habet , ut ex cit. textu patet : ergo. Idem S. Pater Lib. 1. de Nupt. & concupis. cap. 4. habet sequentia : *Copulatio itaque maris & fæmina generandi causā bonum est naturale nuptiarum : sed istō bonō male utitur, qui bestialiter uritur, ut sit ejus intentio in voluptrate libidinis, non in voluntate propaginis :* ergo juxta S. Augustinum modus operandi propter bonum delectabile , est modus operandi alienus à ratione , & characteristicus bestiarum , atque idcirco in honestus & peccaminosus juxta illud Davidis de peccatoribus effatum 1<sup>o</sup> sal. 48. *Homo, cùm in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* q. Quòd hic S. Doctor in nullo ex duobus citatis locis sit contra nos: quia ip̄sime concedimus, quòd iste transitus in alimentis ab indigentia cibi & potūs ad solam voluptatem , ac in copulatione maris & fæminæ à ratione generationis & propagationis speciei humanæ ad solam libidinem sit semper peccaminosus , cùm tali modō non acceditur ad finem à natura præfixum , sed potius devietur ab illo. Patiformiter non est nobis contrarius S. Augustinus , dum Lib. 2. de pecc. metit.

merit. & remiss. cap. 18. ait: *Mirum, si voluntas potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona, nec mala sit; aut enim justum diligimus, & bona est; aut justum non diligimus, & bona non est; quis autem dubitet dicere, voluntatem non diligentem justitiam non modo esse malam, sed etiam pessimam voluntatem?* Hæc Augustinus. Non est nobis ( inquam ) contrarius ; quia ibi non usurpat voluntatem pro voluntione , seu actu voluntatis , sed pro ipsa voluntatis potentia , quæ utique vel est bona, vel mala , & non indifferens.

5.9. Ob. 3. Auth. Scoti, qui in Q. Q. Quodlibetalibus q. 18. §. De primo. ¶. Uno modo. sic loquitur : *Potest enim aliquis agere non cum circumstantia debita, & tamen non cum circumstantia indebita, puta, quando non ordinat actum ad finem debitum, nec tamen ipsum ordinat ad finem indebitum, tunc ille actus est malus privativè, non contrariè sicut ille, qui ordinatur ad finem indebitum :* Sed ille, qui producit aetnam, qui dicitur indifferens , agit non cum circumstantia debita, in quantum non ordinat actum ad finem debitum : ergo talis actus est malus privativè. subf. sed actus privativè malus nequit esse indifferens : ergo non datur actus actus indifferens in individuo. Min. subf. patet ; quia peccatum nihil aliud est juxta Scotistas, quam privatio debitæ rectitudinis : si ergo actus, qui dicitur indifferens , produceretur non cum circumstantia debita,

debita, in quantum non ordinaretur ad finem debitum, haberet privationem debitæ rectitudinis, seu circumstantia ac finis debiti; consequenter esset actus peccaminosus. R. neg. min. quod actus indifferens non ordinetur ad debitum finem: Nam finis ipsi debitus non est finis honestus, ut falsè supponit ista objectio, sed finis indifferens, quem solum natura præfigit actioni indifferenti ut indifferenti, quemadmodum vindendum est suprà n. 22. Hinc iste textus Scoti est neutquam nobis contrarius; cum ibi loquatur de tali actu, cui debetur finis honestus à natura præscriptus, ut declarat exemplum à Doctore Subtili in loco cit. adductum; ita enim subjugit: *Exemplum hujus; dare eleemosynam non propter bonum finem, scilicet amorem Dei, vel subventionem proximi; non tamen propter malum finem, puta, vanam gloriam, vel nocumentum alius cuius, est actus malus privative, non tamen contrarie.* De malitia privativa loquitur Dionysius, quod quicunque defelius particularis cuiuscunque circumstantiae necessariò requisita reddit actionem sic malum; sed malus contrarie non est, nisi habeat circumstantiam positivam habentem aliquam deformitatem. Ecce! quomodo Scotus ex D. Dionysio loquatur de actu, qui non ordinatur ad circumstantiam: uti est finis: necessariò requisitam, ac sibi debitam, qua deficiente dicitur privative malus: ut patet in posito exemplo de actu eleemosynæ; quando enim quis vult date eleemosyn-

mosynam, & separat hunc finem sublevationis pauperis ab isto actu, privat illum debitum sua rectitudine ac fine necessariò requisito ad hoc, ut sit actus eleemosynæ: & quamvis sit bonus ex objecto, deberet tamen insuper habere bonitatem ex fine; quia bonum ex integra causa: id est, bonitas adæquatè constituens actum bonum debet desumi tam ex objecto, quam alijs circumstantijs, præsertim ex fine extrinseco: ut Scotus expressè docet in 1. Dist. 48. q. un. §. Ad argumentum. dicens: Bonitas autem voluntatis non dependet à solo objecto, sed ab alijs omnibus circumstantijs, & potissimum à fine. Sic etiam ait in 1. Dist. 17. q. 2. §. Ad argumenta alia. ¶ Respondeo: Bonitas moralis est integritas umnium conditionum in actu, & circumstantiarum.

60. Ob. 4. Omnis actus humanus, qui nec formaliter, nec virtualiter dirigitur in finem honestum, est malus moraliter: sed actus, qui vocatur indifferens, non dirigitur in finem honestum formaliter aut virtualiter: ergo est malus & dishonestus moraliter. Min. constat; si enim dirigitur in finem honestum formaliter aut virtualiter, eo ipso erit moraliter bonus & honestus. Prob. maj. Actus humanus, qui deficit à fine sibi quâ tali debito, est malus moraliter: sed actus humanus non ordinatus ad finem honestum deficit à fine sibi quâ tali debito: ergo actus humanus non relatus in finem honestum hoc ipso est malus moraliter. Maj. iterum con-

stat; quia actus moraliter malus nil aliud est, quam actus deficiens à fine & regula sibi debita. Prob. min. Actui creaturæ rationalis quæ talis debetur finis honestus & consonus rectæ rationi, referibilis in debitum finem ultimum: sed actus humanus non relatus in finem honestum deficit ab hoc fine: ergo etiam actus humanus non relatus in finem honestum deficit à fine actui creaturæ rationalis quæ talis debito. q. Dist. maj. omnis actus humanus, qui nec formaliter nec virtualiter dirigitur in finem honestum neque positivè, neque negativè, est malus moraliter, conc. maj. Si saltem negativè dirigitur in finem honestū, est malus moralitur, neg. maj. dist. Similiter min. sed actus, qui vocatur indifferens, non dirigitur in finem honestum positivè, conc. min. negativè, neg. min. & conseq. Satis ergo est, quod omnes hominis operationes aliquo modō in finem honestum, ac etiā ultimum ordinentur, scilicet vel positivè, vel negativè, vel immediate, vel mediatè: neque enim Deus pro hoc statu hominem tam strictè obligavit, ut omnia, quæ facit, positivè & proximè ad se referat ut ad ultimum finem; sed sufficit interdum, quod si aliqua ejus actio non est in ultimum finem positivè ordinata, saltem non sit ab eo deordinata, atque recedens: quod est, actionem esse ordinatam negativè, ut contingit in actibus indifferentibus.

61. Ob. 5. Finis non subordinatus ultimo fini naturæ rationalis est deordinatus, & consequenter

quenter etiam actio tendens in hunc finem : sed solum bonum honestum est subordinatum ultimo fini naturae rationalis , non autem bonum utile , & delectabile ergo homo nequit operari propter hunc finem. Prob. min. Bonum utile & delectabile ut sic praeceps respicit ultimato proprium commodum , & bonum naturae sensitivae ergo bonum utile & delectabile non est subordinatum ultimo fini naturae rationalis. q. Dist. maj. Finis neque proxime , neque remote subordinatus ultimo fini naturae rationalis est deordinatus , conc. maj. Finis proxime tantum non subordinatus ultimo fini naturae rationalis est deordinatus , neg. maj. Sic etiam Dist. min. Bonum utile & delectabile non est proxime subordinatum fini ultimo naturae rationalis , conc. min. Non est remote saltem subordinatum , neg. min. & conseq. Quia operans propter finem utilem , vel delectabilem a ratione permisum non ponit actionem fini ultimo contrariam.

**62. Ob. 6.** Invertere ordinem a Deo Authore naturae operationibus praestitutum , est inordinatum , & defectuosum : sed operari propter delectationem ( quod fit in actibus indifferentibus Scotistarum ) est invertere ordinem a Deo Authore naturae nostris operationibus praestitutum : ergo hoc est inordinatum , & defectuosum. Prob. min. Deus ut Author naturae juxta Doctorem Angelicum delectationes posuit propter operationes , nimirum ut istae suavius & facilius elice-

rentur: ergo, si delectatio esset finis operationis, quod fieret, si homo operaretur propter delectationem, inverteretur ordo à Deo Authore naturæ præstitutus. *Rg.* *Dist. min.* Sed operari propter delectationem cum excessu, vel cum aliqua alia circumstantia mala contra rectam rationem saltem permittentem, est invertere ordinem à Deo Authore naturæ nostris operationibus præstitutum, *conc. min.* Operari propter delectationem sine tali excessu, & sine aliqua aliâ circumstantia mala, ac juxta rectam rationem saltem permittentem, est invertere ordinem à Deo Authore naturæ nostris operationibus præstitutum, *neg. min.* & *conseq.* Cùm enim delectabile sit quoddam bonum propter se expetibile, & ametur ex naturali inclinatione ut quædam naturæ commoditas, operari propter delectationem seclusâ omniâ aliâ malitiâ & prohibitione, non erit malum, sed indifferens.

*63. Inst.* Ista responsio est contra Decretum Innocentij XI. Pont. Max. qui inter alias propositiones etiam in ordine 8. & 9. tanquam scandalosas, & in praxi perniciosas damnavit, quarum 1. est: *Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modò non ob sit valitudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.* Secunda autem sic sonat: *Opus conjugij ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.* Ergo data responsio est nulla. *Prob. ant.*  
*Data*

Data responsio dicit, quod operari propter delectationem, seu voluptatem, non sit peccaminosum: sed hoc damnatur in Decreto allegato: ergo. &c. neg. ant. Cujus prob. maj. Dist. Responsio dicit, quod operari propter delectationem, seu voluptatem, non sit peccaminosum, quando talis operatio ordinatur ad solam delectationem, con. maj. Quando talis operatio non ordinatur ad solam delectationem, sed ad aliquid aliud, neg. maj. Dist. eodem modō min. Sed hoc, scilicet dicere, quod operari propter delectationem, ad quam tamen operatio non ordinatur non sit peccaminosum, damnatur in allegato Decreto, conc. min. Sed hoc, scilicet dicere, quod operari propter delectationem, ad quam operatio ordinatur, non sit peccaminosum, damnatur in allegato Decreto, neg. min. & conseq. Nam ille, qui comedet, & biberet, vel actum conjugalem exerceret solius delectationis & voluptatis gratiā, utique saltem venialiter peccaret, quia operaretur inordinate, seu inverso ordine naturae: cūm comedere & bibere, vel actum conjugalem exercere ab Authore naturae non sint ordinata ad solam delectationem & voluptatem, sed ad naturae conservationem, & humanae speciei propagationem, quem finem removeret ille, qui solam delectationem intenderet. Ex hoc tamen non sequitur, quod nequeant dari aliquæ operationes in solâ delectatione;

tionem licet tendentes, seclusa omni aliâ mali-  
tiâ & prohibitione; quia quædam ex sua na-  
tura sunt tantum ordinatae ad oblectandum, ut  
musica ad recreandum auditum, olfactio aroma-  
tum ad oblectandas nates, visio pulchri ad dele-  
ctandas oculos, &c. siquidem hæ operationes  
non sunt necessariæ ad naturæ conservationem,  
nec semper notabiliter utiles ad hunc eundem fi-  
nem. Sed contra hoc

64. Instat Cardenas in sua Crisi Theologica  
Dissertat. 7. cap. 2. art. 3. q. 2. n. 38. Etiam  
hæc propositio, nullum est peccatum, audire mu-  
sicam propter solam delectationem, manet damnata  
saltem virtualiter: ergo falsum est, posse dari  
operationes aliquas in solam delectationem li-  
citè tendentes. Prob. ant. Manet damnata ista  
propositio universalis juxta allegatum Decre-  
tum, *Licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui*: id est, illos elicere propter solam volupta-  
tem: ergo manet etiam damnata ista, particula-  
ris, nullum est peccatum, audire musicam propter  
solam delectationem, utpote quæ deducitur ex illa  
universal. & neg. ant. cuius prob. ant. dist Ma-  
net damnata ista propositio universalis juxta al-  
legatum Decretum, *Licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui*: id est, illos elicere propter  
solam voluptatem, ad quam tanquam ad sibi de-  
bitum finem à natura non sunt ordinati, conc.  
ant. Si sunt ordinati, neg. ant. Dist, similiter

con-

conseq. ergo manet etiam damnata ista particu-  
laris, nullum est peccatum, audire musicam pro-  
pter solam delectationem: Si auditio musicæ non  
esset à natura ordinata ad delectationem tan-  
quam debitum sibi finem, conc. conseq. si est  
ordinata, neg. conseq. Ideoque illa propositio,  
*Licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui,*  
est damnata per Decretum Innocentij XI. in illo  
sensu, in quo accipiebant Authores hanc docen-  
tes: siquidem ex ista propositione universaliter ab-  
solutè & sine omni prorsus restrictione ac limi-  
tatione sumpta, tanquam antecedente inferebant  
sic particularem: *Licitè potest appetitus naturalis*  
*suis actibus frui: ergo comedere, & bibere usque ad*  
*satietas ob solam voluptatem, non est peccatum.*  
Ista illatio neutiquam admitti potest vel debet;  
& consequenter merito jure utraque propositio  
tam universalis tali modo sumpta, quam parti-  
cularis manet damnata & reprobata; cùm prima  
seu universalis illa sic deberet intelligi: *Licitè*  
*potest appetitus suis actibus frui, id est, illos elicere,*  
*propter solam delectationem, ad quam tanquam*  
*ad debitum sibi finem à natura sunt ordinati:*  
tunc autem male infertur: ergo comedere, & bi-  
bere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non  
est peccatum; quia voluptas & delectatio respe-  
ctu comestionis & bibitionis non est debitus fi-  
nis à natura præscriptus, ut in num. præced. di-  
ximus; sed est solummodo finis intermedius &

subordinatus: quando enim voluptas aut sapore cibi & potus comedentem & bibentem allicit, non propterea habere debet voluptatem pro fine praecipuo & primario, sed tantum pro fine subordinato fini sustentationis, vel potius pro medio ad finem sustentationis consequendum. Quod inde constat; quod magis principaliter moveatur homo secundum rectam rationem praeipientem operans a necessitate, quam a voluptate, si utraque concurrat in eodem objecto, quod appetitur: ergo, qui sumit cibum & potum ut necessarium ad sustentationem vitae, magis principaliter moverur a necessitate, & minus principaliter a voluptate. Pro majori hujus claritate

65. Notandum est, aliud esse finem ultimum, & aliud non ultimum. Finis ultimus est, qui non subordinatur alteri fini; v.g. in genere conservationis vitae mortalis finis ultimus est sustentatio vitae. Finis non ultimus (qui etiam finis subordinatus dicitur) est, qui subordinatur alteri fini: Et quidem finis non ultimus respectu unius est finis, & respectu alterius est medium; v.g. comedens cibi est medium in ordine ad sustentationem vitae, & finis respectu voluptatis, quæ ordinatur ad excitandum appetitum comedionis. Deinde voluptas cibi est finis non ultimus in hoc genere, quia est medium ad excitandum comedionis appetitum, & est finis respectu condimenti pro sapore adhibiti. Sic enim,

qui

qui ægrotō laborat palatō , ideoque habet fastidium cibi, assumit tanquam medium ad voluptatem cibi capiendam condimentum sapidum : & ita condimentum cibi est medium ad voluptatem cibi capiendam : & voluptas cibi est finis respectu condimenti , & medium in ordine ad excitandum appetitum comedionis. Ex quibus patet 1. quod aliqualis auditio musicæ , aliqualis olfactio aromatum , &c. sine excessu , aut aliâ malâ circumstantiâ facta in hoc genere pro suo ultimo sive à natura præfixo habeat delectabilitatem , & non pro sine tantum non ultimo ac subordinato , sicut habet comedio & bibitio. Patet 2. evidens discrimen inter comedionem , bibitionem , actum conjugalem , & similes operationes ob solam voluptatem exercitas , & inter aliqualem auditionem musicæ , aliqualem olfactionem rosæ , aromatum , &c. aliasque tales actiones etiam propter solam delectabilitatem productas : quia priores tendunt in solam delectabilitatem & voluptatem ut finem ultimum sibi à natura non ut ultimum , sed tantum ut non ultimum ac subordinatum præscriptum : posteriores vero tendunt in solam delectabilitatem ut finem sibi à natura ut ultimum præscriptum. Patet 3. bonam esse illationem , & neutiquam damnationi ac reprobationi subjectam , quando ex illa universali propositione non absolute , sed sub debita restrictione & limitatione accepta , nempe , *Licet potest appetitus naturalis suis acti-*

*būs frui; id est, illos elicere propter solā voluptatē, ad quam tanquam sibi debitum finem à natura sunt ordinati, infertur ista particularis, ergo nullum est peccatum, audire musicam propter solam delectationem.*

66. Urget 1. Prænominatus Cárdenas loc. cit. q. 2. n. 37. Juxta S. Thomam omnia delectabilia habent pro regula necessitatem congruentiæ; quare omnia debent assumi secundùm finem suum, ad quem sunt ordinata, nempe ad eam necessitatem sublevandam: audiuntur concentus musici ad tristitiam sublevandam, quæ in humana conversatione raro deficit totaliter: olfaciuntur aromata, quia sunt utilia ad capitum confortationem: inspiciuntur res pulchræ, quia utile est, habere scientiam experimentalem rerum omnium ad rectè gubernandam vitam, dum talis scientia nihil affert nocimenti: Assumuntur etiam hæc tria delectabilia pro honesta recreatione & levamine naturæ ab ijs, qui labore incumbunt: ergo qui illa delectabilia assumunt propter solam delectationem, deficiunt à supradicta regula rationis, & peccant venialiter contra præscriptum temperantiæ. R. Dist. ant. **Omnia delectabilia habent pro regula necessitatem congruentiæ vel per se, vel per accidens, conc. ant. Semper per se, neg. ant. & conseq. Licet enim multa delectabilia sint media in ordine ad procurandam ac promovendam necessitatem naturæ, ut in num. præced. dictum est: hoc**

hoc tamen non universaliter verificatur de omnibus delectabilibus, cùm non omnia debeant esse talia media, seu fines subordinati & non ultimi: quandoquidem plura in tali genere habent per se rationem ultimi finis à natura præscripti. Cæterum libenter admittimus, quod etiam talia delectabilia possint ab operante per accidens assumi ad consequendum ulteriorem aliquem finem, v. g. necessitatem naturæ sublevandam; sic delectabilitas musicæ potest assumi ad tristitiam magnam de mente humana depellendam, delectabilitas olfactionis aromatum ad confortandum caput debilitatum, delectabilitas in aspiciendis rebus pulchris ad comparandam scientiam experimentalem, &c. Hitamen fines non sunt primò, principaliter, & per se à natura præscripti, sed tantum per accidens ab operante intenduntur, & ad quos fines consequendos postmodum talia delectabilia tanquam media assumuntur.

67. Urget 2. D. Joannes Maria Sbogat ex Cleric. Regul. Congreg. S. Pauli Tract. 87. Theologiae Radicalis de Gula cap. unico n. 11. qui Tract. de Actibus Hum. cap. 6. n. 49. actum humanum in individuo indifferentem quidem admittit; negat tamen, quod talis actus possit tendere præcisè in bonum delectabile, ut finem indifferentem in tali genere ultimum & primariò à natura præfixum, sed solummodo, in quantum tale bonum delectabile est utile ad sublevan-

vandam naturam , & ejus commodum consequendum ; & licet juxta eundem aliqualiter intendatur delectatio in operatione inclusa , non intenditur tamen ut finis : & sic in forma argumentatur : Actus voluptatis ut sic sumptus habet finem in honestum : ergo est illicitus , consequenter nunquam indifferens . Prob. ant. Finis in honestus est blandiri passionibus carnis juxta illud Apostoli ad Rom. 12. Si enim secundum carnem vixeritis , moriemini ; si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis , vivetis : sed actus voluptatis ut sic sumptus blanditur passionibus carnis : ergo habet finem in honestum . Maj. patet ; quia blandiri passionibus carnis repugnat rectæ rationi , cum talis actus sit puti hominis inferioris , immoderatus , & quodammodo brutalis . Prob. min. Blandiri passionibus carnis , est dare satisfactionem appetitui sensitivo : sed per actus voluptatis hoc fit : ergo . Prob. min. inductione : v. g. si tangat quis rem mollem præcisè ad capiendum actum voluptatis , jam blanditur carni cum satisfactione appetitus tactus ; si aspiciat sub eadem formalitate objectum pulchrum , in hoc blanditur potentiae visivæ ; si audiat verba , ad quæ propendet potentia auditiva pro captanda voluptate , sic blanditur huic , & ita de ceteris : ergo per actum voluptatis blanditur passionibus carnis . Neg. ant. cuius prob. maj. Dist. Finis in honestus est , cum excessu , vel aliâ circumstantiâ pravâ contra dictam rationis ac pruden-

tię blandiri & satisfacere passionibus, seu appetitui sensitivo, conc. maj. Finis inhonestus est; moderatè, sine illa circumstantia prava secundum dictamen rationis & prudentiae blandiri & satisfacere passionibus, seu appetitui sensitivo, neg. maj. Dist. etiam min. Sed actus voluptatis blanditur passionibus vel moderatè & sine aliquo excessu & secundum dictamen, vel immoderatè & cum aliquo excessu contra dictamen rationis & prudentiae, conc. min. Blanditur passionibus semper immoderatè & cum aliquo excessu contra dictamen rationis & prudentiae, neg. min. Sic quoque dist. conseq. ergo actus voluptatis habet finem inhonestum; quando immoderatè, & cum aliquo excessu, aliaque circumstantia prava contra dictamen rationis & prudentiae blanditur passionibus, seu appetitui sensitivo, conc. conseq. secūs, neg. conseq. Ideoque neutram est inhonestum & peccaminosum, tangere recta mollem de se alias licitam, aspicere objectum pulchrum, audire verba cum grano salis jocosa præcisè ad capiendam aliqualem delectationem; dummodò non excedatur, vel ad sit alia circumstantia prava, & finis inhonestus contra dictamen rationis ac prudentiae; cum hæc & similes actiones tendant in finem licitum & à natura præfixum.

68. Urgent 3. Alij: Actus positivè conformis rectæ rationi est moraliter bonus; actus vero positivè difformis est moraliter malus: sed omnis

nis actus moralis ac deliberatus in individuo vel est ita conformis, aut difformis rectæ rationi: ergo omnis talis actus vel est moraliter bonus, vel moraliter malus. Prob. min. Recta ratio dictat, bonum honestum esse præferendum bono delectabili, neque in hoc sistendum esse: sed omnis actus moralis ac deliberatus in individuo vel præfert positivè bonum honestum bono delectabili, vel ex opposito sicut in hoc bono inferiore: ergo omnis ejusmodi actus vel est positivè conformis, aut difformis rectæ rationi. *R. 1.*

*Dist. maj.* Actus positivè conformis rectæ rationi præcipienti, prohibenti, aut consulenti est moraliter bonus, actus verò positivè difformis tali rectæ rationi est moraliter malus, *conc. maj.* Actus positivè conformis rectæ rationi permittenti est moraliter bonus, *neg. maj.* *Dist. etiam min.* Sed omnis actus moralis ac deliberatus in individuo est ita conformis, aut difformis rectæ rationi vel præcipienti, prohibenti, & consulenti, vel permittenti, *conc. min.* semper rationi præcipienti, prohibenti, & consulenti, *neg. min.* & sub data *Dist. conseq. R. 2.* aliter *Dist. maj.* Actus positivè conformis rectæ rationi est moraliter bonus vel bonitate strictè, vel minus strictè tali, *conc. maj.* Est moraliter bonus semper bonitate strictè tali, *neg. maj.* Quia etiam actus indifferens potest dici moraliter bonus bonitate largè sumpta, in quantum pinne illud in hoc sensu potest dici bonum, quod

non

non est malum. qz. 3. Dist. prob. maj. Recta ratio dictat vel præcipiendō, vel consulendō, vel etiam tantummodo permittendō, bonum honestum esse præferendum bono delectabili, conc. maj. Dictat semper præcipiendō, vel consulendō, neg. maj. Pariformiter concessa min. Dist. conseq. ergo omnis ejusmodi actus vel est positivè conformis, aut difformis rectæ rationi, seu omnis ejusmodi actus moralis est bonus vel malus, si recta ratione præcipiente præferat, vel non præferat bonum honestum bono delectabili, conc. conseq. si recta ratione permittente non præferat, sed in solo bono delectabili ex tali permissione sistat, neg. conseq. Sic recta ratio dictat, ut actus comestionis præferat bonum honestum bono delectabili, & fiat non ob solam voluptatem, sed ad conservandam naturam, qui finis à natura intenditur, & tali actui præscribitur; ideoque si actus comestionis bonum honestum præferat bono utili juxta hoc dictamen rectæ rationis præcipientis, erit actus moraliter bonus, si non præferat contra hoc dictamen, erit actus moraliter malus. Econtra recta ratio permittit, ut actus olfactionis rosæ v. g. possit bonum honestum præferre bono delectabili, vel non præferre, consequenter in solo bono delectabili sistere, tanquam in fine tali actui à natura præscripto: si ergo non præfert ex ista permissione, sed solum sistit in bono delectabili,

li, adhuc tendit in finem à natura præscriptum, & à ratione permisum.

69. Ob. 7. Nullus est actus tam indifferens, cui ratio non præscribat mensuram, regulam, modumque exercendi illum; cui, si conformatur voluntas, actus necessariò erit bonus; si non conformatur, erit malus: ergo non indifferens.  
 R. Dist. ant. cui ratio non præscribat mensuram, regulam, modumque exercendi illum, ut nempe non fiat cum aliquo excessu, temporis dispendio, aut aliâ malâ circumstantiâ, conc. ant. cui ratio non præscribat mensuram, regulam, modumque exercendi illum, ita ut per talē regulationem semper sit bonus ac honestus, neg. ant. & conseq. Ideo que mensura & modus à ratione præscriptus in exercitio actuum indifferentium, ut nempe, quando producuntur, non fiant cum aliquo excessu, temporis dispendio, aut aliâ circumstantiâ malâ, non sufficit, ut dicantur honesti; quia adhuc cum tali moderatione atque regulatione eliciti non sunt per se digni notabili affectu humano ob exilem & tenuem utilitatem, quam important: sed tantum facit, ut tales operationes maneant in sua indifferentia, nec dicantur mali, ac dictamini rationis positivè contrarij.

70. Dices: hoc ipso, quod istos actus cum tali moderatione elicimus, saltem virtualiter ipsam honestatē quærimus, etiam si ad eos exercendos moveamur ex delegatione, vel commoditate

ditate naturali, quam secum ferunt; quod sufficit ad honestatem ac bonitatem contrahendam: ergo n. neg. aut. Quia honum commodum vel delectabile in esse naturæ potest in genere moris esse vel honestum, vel turpe, vel indifferens: quando appetitur cum aliquo excessu, aut aliâ circumstantiâ malâ, aut turpe ac inhonestum: quando appetitur ut necessarium, vel notabiliter utile ad conservationem naturæ, erit bonum & honestum; quo sensu aliqua recreatio dicitur honesta, & lusus honestus, non solum, quia exercetur cum mensura à ratione præscripta; sed etiam quia confert notabiliter ad naturæ levamen, & ad Spiritus exhilarandos, &c. Quando tandem appetitur cum mensura quidem à ratione præscripta, sed tamen ob levem & modicam naturæ commoditatem, quæ ad ejus levamen necessaria non est, nec valde utilis; tunc talis actus dicitur indifferens, quia adhuc sub ea mensura consideratur, nec à ratione præcipit, nec consulitur, sed præcisè permititur. Ideoque de tali actu nec ratio, nec natura curat; sed tantum quoad hoc curat, quod, si fiat, non fiat inordinate & cum excessu, consequenter curat, non quidem ut fiat honeste, sed non fiat otiosè.

71. Inst. Omnes hujusmodi actus, sive sint necessarij, sive tantum utiles in naturæ subtilium, sunt conformes naturæ rationali, & à recta ratione atque prudentia dictantur: ergo

sunt boni. Prob. conseq. quando isti actus ob natura<sup>r</sup> commoditatem eliciti sunt necessarij ad vitam conservandam, sunt de praecepto, ac proinde boni: ergo etiam, quando solummodo sunt utiles, adhuc erunt boni. Prob. conseq. Si ordinatio medijs necessarij ad aliquem finem reddit actionem bonam, etiam ordinatio medijs utilis ad eundem finem efficiet illam operationem bonam: ergo. &c. neg. ant. & prob. conseq. hujus ant. dist. ergo etiam, quando solummodo sunt notabiliter utiles ad recreandam, sublevandam & adjuvandam naturam, conc. ant. secus, neg. ant. & conseq.

72. Ob. 8. Omnis actus moralis otiosus est malus: sed omnis actus carens fine honesto seu bono, qualis esset actus indifferens, est otiosus: ergo est malus. Major habetur in S. Scriptura Matth. 12. dicente: *Amen dico vobis; omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.* In quo textu et si sit sermo tantum de verbis, est tamen ob eandem rationem intelligendus de factis otiosis. Prob. ergo min. verbum otiosum est, & dicitur tale, non quia in nullum, aut malum finem proximum ordinatur, sed quia non ordinatur in debitum finem: sed actus quoque indifferens non ordinatur in debitum finem; adeoque aequaliter magis est vituperabilis, quam verbum otiosum. Prob. min. Finis delectationis & commoditatis sensibilis non est debitus, neque commensuratus

tus naturæ rationali quæ tali: atqui actus indifferens juxta explicationem Adversariorum ordinaretur in finem delectationis, & commoditatis sensibilis: ergo. s<sup>r</sup>, neg. prīmam & secundam min. cuius prob. maj. dist. Finis delectationis & commoditatis sensibilis non est debitus, neque commensuratus naturæ rationali quæ tali ad hoc, ut actus, qui elicitur propter talem finem, sit bonus ac honestus in genere moris, conc. maj. Ad hoc, ut sit indifferens, neg. maj. Negatur ergo, verbum vel opus factum ex aliqua indigenia aut commoditate, licet fiat cum delectatione naturali, esse otiosum, cum fiat ad sublevandam aliquō modō naturam, quamvis nullum finem honestum habeat. Unde Divus Bonaventura (quem Schola Scotistica non tantum quoad virtutes, ut aliqui eidem imponere videntur, sed etiam quoad doctrinam planè Seraphicam imitari semper conata fuerat) ad nostrum propositionem in 2. Dist. 41. art. 1. q. 3. optimè sic loquitur: *Ad illud, quod obijcitur, quod reddemus rationem de omni verbo otioso, dicendum, quod otiosum non dicitur verbum, quia non sit ordinatum in finem solum, sed quia omni caret utilitate, dum tamen aliquam deberet habere: & inter tale otiosum & meritorium sive bonum cadit medium, quando aliquis facit aliquid, quod non est omnimoda utilitate privatum; nec tamen est ordinatum in Deum tanquam in finem ultimum: unde non dicitur homo esse otiosus semper, quando non*

*laborat, sed tunc dicitur esse otiosus, quando non laborat, & deberet laborare. Frequenter tamen illa verba, quae videntur esse inutilia, utilia sunt, dum ordinantur ad recreationē aliquam Spiritūs, & exclusionem acediae. Sic etiam intelligendi sunt alij SS. PP. qui contrarij nobis videntur. Porro quæ utilitas licita sit, ut opus ab otiositate excusetur, pendet ex qualitate materiæ, & circumstantiarum.*

73. Ob. 9. Idem actus à malitia recedere nequit, quin accedit ad bonitatem: sed actus, qui dicitur indifferens, recedit à malitia: ergo necessariò propter hoc accedit ad bonitatem. *R.*  
*Dist. maj. Idem actus à malitia recedere nequit, quin accedit ad bonitatem vel strictè, vel largè sumptam, conc. maj. Quin accedit ad bonitatem semper strictè sumptam, neg. maj. Et sic concessa min. dist. conseq. ergo necessariò propter hoc accedit ad bonitatem largè sumptam, conc. conseq. strictè sumptam, neg. conseq.*  
*Cùm enim actus indifferens neque ex objecto, neque ex fine, neque ex alijs circumstantijs possit desumere aliquam bonitatem propriè & strictè talim in genere moris; adhuc tamen recedit à malitia, & dicitur bonus, in quantum non est malus, ut sèpiùs jam dictum est.*

74. Inst. Artifex, quotiescumque operatur ut artifex, tenetur operari secundùm regulas artis, & eo ipso, quod non operetur juxta illas, elicit actum defectuosum: ergo similiter homo, qui est

est quidam artifex moralis, quotiescumque operatur modō humano, tenetur operari juxta regulas rationis. Subst. sed regulæ rationis sunt solummodo de bono honesto, nempe communia illa principia, *bonum est faciendum, malum fugiendum*: ergo eo ipso, quod homo non operatur juxta has regulas & communia rationis principia, elicit actum defectuosum. *¶. dist. conseq.* Ergo similiter homo tenetur operari juxta regulas rationis vel positivè, vel negativè, *conc. conseq.* semper positivè, neg. *conseq.* Ideoque Adversarij per hoc tantum probant, hominem teneri, ut nihil unquam velit, & operetur rationi contrarium: quod etiam assequitur exercendo actum indifferentem; eo ipso enim sese conformat illi communi principio, *malum est fugiendum.*

*75. Ob. 10.* Operati modo bruti, est operari disformiter regulis prudentiæ, utpote dictantis, omnia esse ordinanda in finem congruum: sed qui hæret in bono delectabili, non respiciendō altiorē & honestum finem creature rationali proprium, operatur modo & more bruti: ergo. *¶. Dist. min.* operatur modo & more bruti, si non operaretur cum modo à regula rationis praescripto, *conc. min.* si operatur cum tali modo, neg. min. & conseq. Nam quod bonum delectabile sit homini commune cum brutis, non infert, quod ab homine, ut homo est, non sit licet appetibile; quia adhuc in modo appetendi

illud propter se valdè differt à brutis, non solum, quia illud appetit liberè & cum discursu, sed etiam quia appetit cum modo à regula rationis præscripto, quod nempè non appetat cum excessu, sed moderatè & sine notabili temporis dispendio. Unde gratiæ negatur, dati ullam operationem, quæ ad solam delectationem ordinatur tanquam ad ultimum finem, sed quod ultra delectationem semper ordinari debeat ad aliquem finem commodum, & utilem naturæ: hoc, inquam, gratiæ negatur; quia in multis operationibus finis à natura institutus est sensuum oblectatio; licet ex intentione operantis hic quoque finis ad alios possit ordinari; tum quia, cùm circa talia objecta versentur eò modò, quo sunt amabilia, nempè propter se; siquidem delectabile ut tale est bonum propter se expetibile, & non in ordine ad aliud, falso est, operationes ob solam delectationem elicas necessariò assumi debere ut media ad alium finem commodum, ac utilem naturæ: tum quia commodum, & delectabile non sunt distincta bona; nam ipsa delectatio est quædam naturæ commoditas, & è contraria: ideoque ipsamet excitatio, & exhilaratio spirituum, ad quam ordinari dicuntur v. g. visio pulchri, & auditio concentus non est, nisi bonum quoddam delectabile ipsius naturæ: cùm igitur hujusmodi actiones non sint necessariae ad naturam conservandam, nec semper notabiliter utiles ad hunc eundem finem, ex alia quo-

quoque parte nullam ex objecto suo habeant malitiam, poterunt ob solam delectationem indifferenter exerceri.

76. Inst. Si dantur actus indifferentes in individuo, concedendum est, dari aliquoties actus singulares liberos & morales in homine, quorum Deus non haberet majorem curam, vel providentiam, quam habet de actibus brutorum: sed hoc nullus dicet: ergo. Sequela maj. patet; quia Deus de actibus brutorum solum, habet providentiam pertinentem ad ordinem naturae sine hoc, quod ordinet illos ad præmium, quia non sunt boni, neque ad supplicium, quia non sunt mali. Prob. itaque min. In actibus liberis excedit homo animalia bruta: ergo illi specialiter subjacent providentiae Divinae. R. neg, suppositum hujus argum. Nam sicut dictamen prudentiae in homine aliquam curam gerit de actionibus quoque indifferentibus, quatenus præscribit modum & regulam eas exercendi, ut nimis non fiant cum excessu, temporis dispendio, aut aliâ circumstantiâ pravâ, alioquin in sua indifferentia non permanerent, sed mali evaderent: non tamen de eis curat in ordine ad laudem vel præmium, quia sunt exigui momenti. Sic pariter dici poterit, Deum de illis specialem habere providentiam in eodem sensu; non tamen in ordine ad pœnam vel præmium, ut habet de actibus bonis & malis.

77. Ob. 11. Qui putat, se licite posse hic, &

nunc non ordinare suam actionem in ultimum finem, jam in hoc ipso, quod judicat esse licitum, concipit rationem ultimi finis: ergo ista operatio, quam cum tali judicio exercet, non erit indifferens, sed honesta ac bona. Antec. constat; illud enim intelligitur esse licitum, quod homini deliberatè operanti non nocet in ordine ad ultimum finem. Prob. conseq. vel operans idèò omittit suam actionem ordinate in ultimum finem, quia id est licitum, vel non movetur ex isto motivo? Si primum: ergo jam operatur honestè, quia reveretur ultimum finem, & metitur suas operationes ex illo, neque vult aliquid facere, quoð sit contra illum. Si secundum: ergo jam despicit ipsum ultimum finem, ita enim agit, quantum est ex se, ut omitteret eam ordinationem, etiam si non liceret: ergo talis operatio non est indifferens. 12. Dist. ant. concipit rationem ultimi finis remotè, implicitè & virtualiter, trans. ant. Proximè, explicitè & formaliter, neg. ant. & conseq. Hinc etiam conceditur, quòd operans talem ordinationem, omittat, quia id putat, sibi licitum esse, hoc est, permisum. Negatur tamen, quòd eo ipso jam operetur honestè; nam juxta dicta licitum latius patet, quām honestum: & teste Doctore Gentium, *multa licent, sed non omnia expediunt.* Ideoque, si movetur ex hoc motivo, jam reveretur ultimum finem, & metitur suas actiones ex illo, quæ reverentia est negativa, quatenus non vult

vult aliquid facere, quod sit contra illum. Ex hac tamen negativa reverentia non licet inferre operationem honestam, per quam Deo exhibetur non tantum negativa, sed etiam positiva reverentia. Ex quo similiter patet, ultimum finem, scilicet Deum, ab homine non contemni per hoc, quod agat deliberatè sine ordinatione sui actus ad illum. Sed tunc solummodo incurrit talis contemptum, quando suo actui apponit conditionem ultimo fini repugnantem.

78. Ob. 12. Si darentur actus indifferentes in individuo, tunc ex his multiplicatis posset generari habitus: sed hoc est contra bonam Philosophiam: ergo Maj. patet; quia non est assignabilis disparitas, cur non deberent admitti habitus indifferentes generati ex actibus indifferentibus, si darentur; cum admittendi sint habitus virtuosi generati ex actibus studiosis, virtuosis & bonis, atque habitus vitiosi generati ex similibus actibus. Prob. min. De natura habitus est, ut bene vel male disponat subjectum: sed habitus generatus ex actibus indifferentibus non posset beae vel male disponere subjectum seu hominem: ergo ex multiplicatis actibus indifferentibus juxta bonam Philosophiam nequit generari habitus. Minor constat, cum habitus indifferentis non possit illud tribuere, quod ipse non habet. Major prob. ex Philosopho, qui cap. de qualit. docet, omnes habitus voluntatis vel esse virtutes, vel vicia, afficeréque bene vel

malè objectum ; quia per habitus morales homo fit melior , aut deterior : ergo . Rz. neg. min . Nam Doctor Subtilis in 2. Dist. 41. q. un. §. *Ad Argumenta* , ait : *Ad aliud concedo , quod ex simili- bus actibus generatur similis habitus , & ita ex multis actibus indifferentibus potest generari con- similis habitus ad consimiles actus in genere im- mobiliter inclinans : non tamen inclinat ad eos , ut bonos , nec ut malos , sicut etiam ipse in se neque est bonus , neque malus , sicut nec etiam genera- tur ex actibus bonis vel malis.* Sic etiam habet in 4. Dist. 6. q. 10. §. *Ad questionem* : ut supra fol. 41. n. 37. jam citavimus. Quod & ipsa expe- rientia docet ; siquidem multi talib⁹ actibus assueti vix possunt ab eis abstинere , quod est evi- dens signum acquisiti habit⁹. Prob. maj. dist. De natura habit⁹ vitiosi est , ut bene disponat subiectum , & habit⁹ viotisi , ut malè disponat , conc. maj. De natura habit⁹ indifferentis , neg. maj. Quia habitus inclinat ad actus ejusdem ra- tionalis cum illis , ex quibus fuit generatus. Quare Philosophus in cit. loco intendebat solummodo agere de talib⁹ habitibus , qui inclinant , ac facilitant ad talia opera , quibus laudem , vel vi- tuperium promeremur.

79. Inst. In moralibus non constituitur habi- tus , nisi respectu objecti , quod habet specialem difficultatem : sed hanc non habent objecta in- differentia : ergo respectu talium non debent constituī habitus indifferentes , consequenter neque

neque actus. Prob. min. Objecta indifferentia à potiori sunt, per quæ succurritur alicui indigentiae naturæ: sed hæc nullam habent difficultatem, immo naturaliter ad ista inclinamur: ergo.

¶. Retorq. Argum. in Adversarios; quia ad plurima bona naturaliter inclinamur, & tamen respectu horum à potiori sentimus difficultatem, quando circa illa actum elicere volumus. Deinde licet operans non tantam difficultatem habeat eliciendo actum circa objectum indifferens, sicut ille, qui tendit in objectum bonum præsertim arduum: Ex hoc tamen non sequitur, quod nullam omnino sentiat difficultatem. Tandem non solùm respectu eorum actuum, ad quos habemus peculiarem difficultatem, sed etiam respectu eorum, ad quos non sumus omnino habilitati, concedi potest habitus: atque adeò, cùm interdum aliqua major in nobis sentiatur promptitudo ad hæc opera ex frequenti usu, concedere etiam circa ea habitum aliquem, non est incommodum; hoc enim signum manifestum est habitus geniti.

80. Urgetur t. Si darentur habitus indifferentes, essent incorruptibles: sed hoc dici nequit; cùm omnis habitus tanquam accidens sit corruptibilis: ergo. Prob. maj. Tales habitus nullum haberent contrarium se corrupiens; nec enim actus bonus nec malus contrariatur indifferenti, nec consequenter habitus: ergo. ¶. neg. maj. sicut & prob. ant. quia actus & habitus malus

con.

contrariantur actui & habitui indifferenti. Insuper habitus etiam sola cessatione corruptitur; talis enim est naturæ, ut non diu perseveret, nisi actibus foveatur: quod Scotus docere videtur in 4. Dift. 14. q. 1. §. Dico ergo: his verbis: *Qui cunque etiam habitus, vel dispositio vitiosa derelinqueretur ex actibus, defineret esse post fluxum temporis, nisi firmaretur per frequentes actus.*

81. Urgetur 2. Actus indifferens juxta Scotum reducitur ad actum malum: ergo non est illi contrarius, consequenter neque habitus contrariantur sibi. Prob. ant. Omne vituperabile reducitur ad malum: sed actus indifferens juxta Scotum est vituperabilis: ergo actus indifferens reducitur ad actum malum. Prob. min. Scotus in Q. Q. Quodlib. q. 18. §. De secundo Principali, ait: *Actus autem neuter, sive indifferens, dum tamen sit in potestate agentis, imputatur, vel ut quodam modō vituperabilis, quia poterat ordine agere, vel saltem ut non laudabilis, & hoc propter defectum ejus, qui potuit laudabiliter egisse: ergo actus indifferens juxta Scotum est vituperabilis.* ¶ Neg. ant. sicut etiam prob. min. Ad textum Scotti dicimus, quod nihil nobis contrarium contineat; quia Doctor Subtilis in loc. cit. ad secundum principale illius quæst. punctum, ubi queritur, utrum actus verè humanus ab eodem habeat, quod sit laudabilis vel vituperabilis, à quo habet bonitatem moralem vel malitiam? Respondet, v. Ex hoc patet: Non ab eodem for-

mali-

maliter est actus bonus bonitate morali, & imputabilis: sed primum habet ex convenientia ad regulam, juxta quam debet elici; secundum ex eo, quod est in libero potestate agentis. Cum itaque actus neuter, seu indifferens sit pariter in potestate agentis, consequenter erit etiam imputabilis, non quidem strictè, sicut actus bonus & malus, sed tantum largè; quemadmodum habet bonitatem largè sumptam de qua vide plura q. I. §. 3. fol. 30. n. 29. Hinc quando Doctor Subtilis vocat actū indifferente vituperabilem, non absolute hoc dicit, sed cum hoc addito, quodā modō, scilicet respectu actūs moraliter boni: seu potius dicitur non laudabilis, id est, negativē laudabilis propter hoc, quod producens talem actum potuisset laudabiliter positivē egisse. Ex quo tamen nondum sequitur, quod sit propriè & strictè vituperabilis sicut actus moraliter malus. Atque hæc pauca sufficient de actu humano indifferente,



## P A R E R G A

De Actibus Humanis , Eorumque regulâ tam intrinsecâ , quam extrinsecâ , nempe Conscientiâ & Legibûs.

1. *Moralitas , seu dirigibilitas passiva , per quam actus humanus in genere moris formaliter constituitur , non est aliquid intrinsecum entitati physica illius , nec forma accidentalis positiva . 2. Sed mera denominatio extrinseca ab intellectu regulante derivata atque derelicta in actu , qui dicitur humanus . 3. Moralitas ut sic Actus Humani adaequatè dividitur in moralitatem bonitatis , indifferentie ac malitia , ita tamen , ut prima due sint vera species univoca , non autem tercia . 4. Datur defacto in homine liberum arbitrium productivum actus humani : 5. Quod non est distinctus aliquis habitus , facultas , vel actus , sed formaliter ipsa potentia volitiva . 6. De ratione liberi arbitrij est , ut cum omnibus ad operandum requisitis possit componere actum , vel negationem ejus . 7. Movent quidem , non tamen necessitant liberum arbitrium hominis ad producendum actum humanum non solum Deus , Angeli , Astra , & appetitus sensitivus ; 8. Verum etiam ipsum objectum . 9. Et quidem hoc semper sub ratione aliqua boni . 10. Voluntarium propriè dictum est , quod procedit à potentia volitiva secun-*

secundum inclinationem ejus ex prævia cognitione  
intellectiva finis. 11. Involuntarium vero, quod  
provenit à voluntate contra inclinationem. 12.  
Ratio voluntarij & involuntarij non est aliquid  
intrinsecum actui, qui vocatur humanus. 13. Sed  
importat meram denominationem extrinsecam à  
potentia volitiva in actum à se positum deriva-  
tam, eundemque indispensabiliter affidentem. 14.  
Datur non solum voluntarium directum, & for-  
maliter tale. 15. Sederiam indirectum, & vir-  
tuale, seu in sua causa. 16. Effectus in sua cau-  
sa voluntarius jam tunc imputatur, quando po-  
nitur causa. 17. Potest dari pura omissio libera,  
ac voluntaria sine omni actu voluntatis causaliter  
vel occasionaliter cum illa coniuncto. 18. Talis  
pura omissio non tantum potest esse moraliter pec-  
caminosa. 19. Verum etiam moraliter bona, ac  
meritoria præmij supernaturalis. 20. Licet vo-  
luntas humana in actibus elicitis nequeat violen-  
tiampati. 21. Bene tamen in imperatis, in qui-  
bus violentia simpliciter causat involuntarium  
simpliciter. 22. Concupiscentia antecedens per  
se loquendò nunquam auget voluntarium, neque  
pollit vel simpliciter, vel secundum quid; sed tan-  
tum minuit. 23. Metus quicunque sive gravis,  
sive levis non causat involuntarium simpliciter;  
dummodo non ita perturbet rationem, ut libertas  
voluntatis in operando totaliter impediatur. 24.  
Metus gravis tunc excusat ab observatione non  
tantum legis humanae, sed etiam Divine, ac na-  
turales

ruralis positiva, quando ex illo, quod rati metu fieret, redundaret majus damnum, quam commodum in genus humanum. 25. Ignorantia antecedens tam juris, quam facti causat involuntarium simpliciter. 26. Ignorantia autem consequens causat voluntarium indirectum, & in sua causa. 27. Actus humanus desumit suam bonitatem vel malitiam essentialē ac primariam in genere moris ab objecto. 28. Secundariam vero & accidentalem à circumstantijs, potissimum à fine extrinseco. 29. Hinc nullus actus retinere potest suam bonitatem ex objecto desumptam, quando finis illum afficiens est malus. 30. Si actus est malus ex objecto, finis bonus non tollit simpliciter malitiam illius; sed aliqualiter tantum minuit. 31. Illa circumstantia tribuunt actui humano novam ac distinctam speciem bonitatis aut malitiae, quae afferunt novam specie conformitatem, vel diffirmitatem ad rectam rationem regulantem. 32. Ut objectum, ac circumstantia objectiva refundant bonitatem in actum, talis bonitas non tantum debet esse cognita ut talis, sed etiam expressè, formaliter ac directè volita. 33. Ad refundendam autem malitiam, sufficit, quod ista virtualiter & indirecte sit intenta. 34. Actus humanus externus superaddit interno bonitatem, vel malitiam distinctam. 35. Actus humanus malus, seu peccatum actuale formaliter non consistit in privatione gratiae. 36. Sed in privatione debitæ rectitudinis & conformitatis ad rectam rationem regulan-

gulanteum. 37. Subjectum immediatum dictæ privationis non est voluntas peccantis, sed ipse actus peccaminosus, vel omissione illius. 38. Differentia seu distinctio specifica peccatorum in consideratione Theologica saltem a priori non rectè desumitur à differentia formalis & specifica legum, seu præceptorum, quibus opponuntur. 39. Sed formaliter & proximè desumitur in ordine ad diversas specie rectitudines, quarum talia peccata sunt privationes. 40. Fundamentaliter vero & remotè possunt colligi vel in ordine ad diversas species virtutis, quibus opponuntur peccata; vel ad diversa objecta formalia; vel ad diversa præcepta ex varijs motivis obligantia. 41. Distinctio numerica peccatoris formaliter desumi quoque debet in ordine ad diversas numero rectitudines, quarum talia peccata sunt privationes. 42. Fundamentaliter autem in ordine ad multiplicationem, vel interruptionem moralem actuum peccaminosorum. 43. Multiplicatione actuum malorum sive precedentium, sive concomitantium, & subsequentium, si ordinantur ad ipsum actum principalem vel per modum dispositionis, vel complementi, non infert distinctionem numericam peccatorum. 44. Peccatum mortale ne quidem in ratione offense Dei consideratum includit interinsecè & formaliter malitiam infinitam simpliciter. 45. Conscientia est dictamen, seu judicium practicum intellectus dictans, quid hic & nunc agendum sit ut honestum, vel omittendum ut in honestum. 46. Dividitur in re-

etiam, erroneam, probabilem, dubiam, ac scrupulosam. 47. Quarum due ultimae non merentur dici conscientia propriè dictæ regulantes actum humanum. 48. Conscientia recta præcipiendo vel prohibendo ita obligat operantem, ut semper peccet, nisi illam in operando sequatur. 49. Tenemur positivè sequi conscientiam invincibiliter erroneam. 50. Vincibiliter vero erroneam solum negativè. 51. Licet sequi conscientiam juxta opinionem vel intrinsecè, vel extrinsecè verè probabilem actum humanum regulantem, ita quidem, ut in concursu sententiae probabilioris ac tuioris eligere & amplecti possimus sententiam minùs probabilem, minùsque tutam, quoiescunque agitur de honestate actus, & operans aliunde non obligetur ad amplectendam probabilem & tutiorem. 52. Hinc nimirum formidolosus esse videatur ille alias doctissimus Scotista in suis Thesibus Theologicis hoc anno editis, dicens: Quando faciliter possemus amplecti opinionem attentis omnibus circumstantijs certò notabiliter probabilem ac simul tutiorem, se non audere sequi opinionem minùs tutam, & notabiliter minùs probabilem. 53. Nunquam licet operari ex conscientia practice, bene autem speculativè dubia; dummodo operans practice ac verè judicer, illud, quod operatur, hic & nunc sibi esse licitum. 54. Omnis Lex tam naturalis, quam positiva, sive Divina, sive humana in actu voluntatis Legislatoris illam legem sancientis essentialiter consistit.

sistit. 55. Leges civiles à supremo Principe pro pluribus Provincijs late absque temporis determinatione non obligant, nisi facta promulgatione in singulis respectivè Provincijs. 56. Leges & Constitutiones novæ Summorum Pontificum pro Universa Ecclesia late, vel pro pluribus Provincijs non obligant vi solius promulgationis Romæ factæ, nisi oppositum in ipsa constitutione exprimatur. 57. Sed debent in qualibet Diœcesi, vel Metropolitana Ecclesia solemniter promulgari. 58. Summo Pontifici competit quidem iurisdictio temporalis in Reges & Principes, Eorumque ditiones, non tamen directè & ordinariè. 59. Summus Pontifex potest indirectè præcipere actus internos, qui cum externo sunt conjuncti. 60. Neutiquam autem directè. 61. Quælibet Lex humana, si verè habet rationem Legis, obligat in conscientia vel ad actum aut omissionem ejus, vel ad subeundam pœnam. 62. Etiam secluso contemptu, & scandalō 63. Contra Constitutiones Pontificias, & Leges Civiles nunquam potest introduci consuetudo per actus formaliter peccaminosos.

Omnia ad majorem DEI  
Gloriam.







\$.

$$\begin{array}{r} 17 \\ \times 17 \\ \hline 119 \\ 17 \\ \hline 289 \end{array}$$

ππ  
π  
42  
36  
78

Magnus  
et Idaea  
bilis nimis

